ARCANORUM
ARMINIANISMI
Pars Tertia.

SEU

ARCANA NOVA Antitrinitariorum ſive Socinianorum Hæreticorum, qui ſe Remonſtrantium nomine involvunt, & Orthodoxam doctrinam de Trinitate ſimulant.

Quæ ipſi prodiderunt in Reſponſo quod Tractatui primo de Arcanis Arminianiſmi *oppoſuerunt, cui titulum fecerunt,* VEDELIVS RHAPSODVS *ſive* VINDICIÆ *&c.*

Auctore

NICOLAO VEDELIO

S. S. Theol. Doctore & Profeſſore in illuſtri Schola DAVENTRIENSI.



LVGDVNI BATAVORVM,

Apud *FRANCISCVM HEGERVM. è regione Academiæ.*

cIↃ Iↄ c XXXIV.

Illuſtribus & Præpotentibus

ORDINIBVS

Ducatus Geldriæ ac Comitatus Zutphaniæ.

EORVNDEMQVE

Magnificis, Nobiliſſimis, Ampliſſimis, Conſultiſſimis, Prudentiſſimis DOMINIS

CONSILIARIIS ac DEPVTATIS,

Dominis meis gratioſis & plurimùm ſuſpiciendis.

ILLVSTRES, PRÆPOTENTES, MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSVLTISSIMI, PRVDENTISSIMI DOMINI:

EDiderunt menſe Martio hujus anni *Antitrinitarii* ſive *Sociniani* Hæretici qui ſe *Remonſtrantium* nomine tegunt & Orthodoxam doctrinam de Trinitate ſimulant, ſcriptum improbiſſimum, impiiſſimum ac virulentiſſimum. Eo in ſpeciem quidem meam tenuitatem, reverâ autem petunt omnes Eccleſias Reformatas, imò omnes eos cœtus qui Deum in tribus perſonis adorãt & *Socinianorum* blaſphemias tolerare nolunt. Illi oppoſui nuper, ſic poſtulante utilitate Eccleſiæ &

 Reipu-

Reipublicę *Partem Secundam* Arcanorum Arminianiſmi. In eâ oſtendi *Illuſtriſsimis & Potentiſsimis Ordinibus Generalibus* ex ſcripto iſto hominum illorum, quidnam moliantur illi tùm in negocio Religionis, tùm in ſtatu Reipublicæ. Ex unâ enim parte machinantur introductionem ac profeſſionem publicam *Turcicarum* blaſphemiarum, quas *Sociniani Hæretici* contra Filium Dei ac totam S.S. Trinitatẽ evomunt, quibus Arminianos miniſtros totos imbutos eſſe, & tantùm ſimulare doctrinam Orthodoxam de Trinitate luce clariùs meridianâ demonſtravi. Ex alterâ parte manifeſtum feci eos moliri oppreſſionem & exterminationẽ omnium eorum qui Reformatæ Religioni ex animo addicti ſunt, cujuſcumque tandem ſtatus & conditionis illi ſint. Oſtendi etiam quibus mediis ad utrumque finem illum pervenire conentur; dogmatibus ſcilicet quibus Libertiniſmũ in doctrina ſeu fide introducunt atque tuentur; quibus receptis & admiſſis, neceſſum omninò eſt admitti blaſphemiarum illarum *Turcicarum* profeſſionem publicam; præterquàm quòd idem Libertiniſmus medium ſummè idoneum eſt factioni validiſſimæ ſimul ac improbiſſimæ ſtabiliendæ.

Pollicitus autem fui in ea *Secundâ Parte* etiam

Ter-

Tertiam; in qua exhibiturus eſſem *Arcana* ipſorum *Nova*, quæ in improbiſſimo iſto ſcripto ſuo ipſi ut ſorices prodiderunt, quæque in *Parte Secundâ* levi ſaltem brachio, quia ſummæ brevitati ſtudendum mihi erat, tetigeram. Nunc igitur fidem meam libero: quò ita omnes homines eò melius intelligant, qualiſnam ſecta illa, quæ fides, quæ Religio illius ſit? Et luculenter quidem impietatem ſuam atque improbitatem illi probaverant antea dogmatibus iſtis quæ in *primâ Parte* Arcanorum Arminianiſmi ante biennium ex Confeſſione fideï & Apologia ipſorum exhibui. Sed iis non contenti ulterius jam longè excurrunt in *Vindiciis* ſuis (quibus ſubſervit *Reſponſio eorundem ad Excerpta Cll. DD. Proff. Leydd.* ad quam Lectorem ſubinde in Vindiciis remittunt) ac nobis pandunt multa alia arcana ſua; ſicut ipſos facturos ante hac præmonueram. Ea igitur *Arcana nova* nunc exhibeo in hac *parte Tertiâ*; ex qua unuſquiſque qui non ſponte claudere oculos vult ad veritatis lucem, magis etiam nôſſe diſcet, quales homines hi Theologi ſint, & qualem ſectam conſtituant. Homines nimirum tales, qui, quandoquidẽ Antitrinitariarum blaſphemiarum profeſſionem publicam introducere laborant, inter alia impia, pernicioſa & execranda do-

gmata quæ in Lectione hujus Tractatus exponentur, ſentiunt ac docent, *eos non peccare qui credunt ac docent Ieſum Chriſtum non eſſe unum illum ac verum Deum cum Patre & Spiritu Sancto, ac Trinitatis myſterium adorandum oppugnant*. Homines tales qui docent; *Eos qui in J. Chriſtum non credunt ſed eum horrendis blaſphemiis & contumeliis afficiunt, ſpeciatim Judæos & qui à Chriſtianâ Religione ad Judaiſmum deficiunt, colere verum Deum*. Homines tales qui *circa ſacroſanctum & adorandum Myſterium Trinitatis ſeptemdecim modis diſſentiunt ab Eccleſiâ totâ vetere ac modernâ quæ Deum in tribus perſonis adoravit & adorat*. Homines tales qui *in dubium vocant plura quàm viginti & unum Orthodoxa dogmata, Socinianorum hæreſibus & erroribus oppoſita* peſtilentiſſimis. Homines tales, qui, quandoquidem exiſtimarunt ſe non poſſe adhibere commodius medium quo *Socinianorum Turcicas* illas blaſphemias introducere & Reformatos omnes opprimere poſſint, quàm Libertiniſmum; *ludibrio exponunt Religionem Chriſtianam & veritatem divinam in omnibus illis dogmatibus quæ controverſa ſunt inter cœtus Chriſtianos, & omne ſtudium amoremq́ illius ex hominum animis penitus expectorare moliuntur*. Homines tales, qui in eundem finem *quindecim*

modis

modis explodere & contemnere docent vera dogmata controverſa. Homines tales qui dicunt *nihil pro vero in Religione habendum eſſe, niſi quod cum rectâ ratione per omnia conveniat.* Homines tales qui docent; *unumquemque Chriſtiani nominis hominem in ſuâ Religione ſalvari poſſe.* Homines tales, qui docent *non ſolum quaſdam ſectas ſed omnes omninò tolerandas eſſe.* Homines tales qui dicunt jam ex una parte *ſe agnoſcere dogmata quædam controverſa pro Neceſſariis ad ſalutem*; ex altera parte, *hominem abſque iis h.e. ea negantem & rejicientem ſalvari poſſe.* Homines tales qui *unicuique tyroni in rebus Theologicis, liberum faciunt novam ſectam (ſeu,* ut communiter loqui ſolemus *novam Religionem) erigendi.* Homines tales qui, ut ne amplior prætextus hæreſibus & pernicioſis erroribus deſit, eò profanitatis ac blaſphemiæ prolabuntur, ut docere auſint: *In doctrinâ Chriſti non pauca occurrere quæ opinioni falſæ & pernicioſæ ingenerandæ ac fovendæ facere poſſint.* item: *Non pauca loca ſcripturæ eſſe, quæ aliquem in errorem imprudenter faciunt incidere.* Homines tales qui *αὐτοκατάκριτοι h. e. in propriâ conſcientiâ & ex proprio ore convicti ſunt malæ ſuæ cauſæ, quam tamen contra propriam conſcientiam ſuam defendunt, & ut eam tueri poſſint inauditis inter Theologos fraudi-*

bus & imposturis utuntur, ut de ſumma eorum virulentia & petulentia nihil dicam. Hæc omnia & plurima alia quæ cognoſcere plurimùm inter eſt Eccleſiæ ac Reip. Chriſtianæ, ex hac *parte Tertia* Arcanorum manifeſta fient. In qua etiam ubi opus eſt, breve Antidotum oppono adverſus peſtilentiſſima illa, horrenda & execranda dogmata.

Interim ſola iſta quæ modò commemoravi ſatis docent quantopere neceſſarium ſit, ut non ſolùm conſtet orbi Chriſtiano quid Arminiani miniſtri moliantur; ſed etiam ut remedium maturè huic malo graviſſimo afferatur. Qua in re cum Vos *Illuſtres, Potentes Magnifici, Nobiliſsimi, Ampliſsimi, Conſultiſsimi, Prudentiſſimi Domini*, plurimùm poſſitis, ut pote quorum Provincia inter haſce fœderatas regiones primum locum obtinet, VOBIS Tractatum hunc offerendum putavi. Videtis agi hîc negocium maximi momenti, quod ſi negligatur, graviſſimas calamitates hiſce provinciis denuò & pluſquam antè unquam impendere certum eſt. Præterquam enim quod certiſſimum eſt illud ſapientiſſimum effatum *Sozomeni* qui dicit lib.8. hiſtor. Eccleſ.c.25. laborante ac periclitante Eccleſia ſemper etiam laborare ac periclitari Rempublicam: ſunt hîc duæ cauſæ ſpeciales quæ remedium

medium promtum ac ſufficiens malo huic poſtulant. Primo enim videtis hîc agi cauſam Filii Dei, cui gloriam, cultum & honorem tanquam æterno vero & uni Deo cum patre & Sp.S.debitum eripere conantur hi homines; dum introducere conantur blaſphemias iſtas Turcicas Socinianorum, quibus Creator cœli & terræ Ieſus Chriſtus in locum creaturæ deprimitur, adeóque creatura colitur, & ſic idololatria invehitur, quæ Pontificia idololatria longe gravior & abominabilior eſt. Quod quidem ſcelus tantum eſt, ut Eccleſia tota vetus & moderna, ſecundum præſcriptũ verbi divini, Antitrinitarios pro *Anathemate* habuerit. Si igitur credimus unum & æternum Deum eſſe in cœlis qui omnia videt, & bene facta quidem præmiis compenſat male facta autem pœnis ulciſcitur; ſi etiam credimus eum Deum eſſe Ieſum Chriſtum cum Patre & Spiritu S. certe non poſſumus non credere eum videre quæ in his provinciis, quantum ad negocium Religionis attinet, geruntur; & cum ſit ſumme juſtus ac zelotes gloriæ ſuæ; non poſſe non manum ejus excelſam (ut ſcriptura loqui amat) eſſe adverſum eas. Cujus indignationis initium qui non videt revera hoc anno factum eſſe; certe volens cœcus eſt. Si cauſam quærimus ſiniſtrorum eventuum & conſideramus ex alte-

ex alterâ parte molimina horum Socinianorum Spirituum,quibus anathema ex verbo Dei ſemper dixit tota Eccleſia,certe inter alias hæc pręcipua & evidentiſſima eſtex ore ipſius DEI : *Sic enim ait Iehova Deus Iſraëlis, anathema eſt in medio tui Iſraël: Non poteris conſiſtere ante hoſtes tuos donec amoveritis anathema iſtud.* Ioſ. 7. 13. Nam etſi forte (de quo Deum indeſinenter veneror & non deſpero) Deus ſucceſſus aliquos nobis largiturus infuturum adverſus Hiſpanum ſit; tamen non deſunt ipſi viæ & rationes quibus pro juſto ſuo judicio effecturus eſt ut jucundum hoſtibus ſpectaculum præbeamus, adeoque nec ante ipſum conſiſtere queamus, nî iſtud anathema amoverimus. Et tunc væ nobis, & innocentibus liberis noſtris! Hoc autem ut nunquam eveniat Deum ex intimo & ardentiſſimo cordis affectu cum omnibus bonis oro.

Hæc una cauſa eſt, propter quam negocii huius diligens & ſeria ratio à Magiſtratibus habenda eſt. Altera cauſa in eo poſita eſt, quod, ut Antitrinitarii hoſtes Filii Dei, ita etiam jurati hoſtes Eccleſiæ & membrorum ipſius ſunt, quorum excîdium atque oppreſſionem omnibus modis moliuntur ac procurant; quemadmodum vetus Eccleſia indicibili ſuo

cum ma-

cum malo experta eſt. Hoc affectu virulentiſſimo præditi ſunt ſpeciatim hi homines de quibus in præſentiarum loquor; h.e. qui in Belgio ſe Remonſtrantium nomine tegunt, &, cùm Orthodoxam doctrinam de Trinitate ſimulent, Socinianis blaſphemiis ex animo addicti ſunt. Quemadmodum enim evidentiſſimè & palpabiliſſimè oſtendi in Parte Secundâ Arcanorum; machinantur illi oppreſſionem omnium eorum qui Reformatæ Religioni verè & ex animo addicti ſunt. Id quod, ut ipſi nobis non diſſimulant, ſed apertè declarant in Vindiciis ſuis: ita dubium nullum eſt quin ad ſcopum illum ſuum ſint perventuri, nî præveniantur ea qua par eſt vigilantia, prudentia & juſtitia.

Quæ cùm ita ſint, Illuſtres ac Præpotentes DD. Ordines, Magnifici, & Sapientiſſimi DD. Conſiliarii, Nobiliſſimi & Ampliſſimi DD. Deputati, dubium non eſt, quin ad animum revocaturi ſitis negocium hoc, quod quidem inter maxima, imò omnium maximum eſt eorum negociorum quæ cura veſtra digna ſunt. Et certè conſtanter in hunc uſq; diem re ipſa manifeſtum feciſtis, quantus Religionis ac veritatis divinæ adeoque Ieſu Chriſti DEI veſtri amor in vobis ſit. Quo factum, ut, cùm antea Ducatus

tus & Comitatus veſter graviter conquaſſatus eſſet ab illis hominibus qui ſe *Remonſtrantes* vocant, vos malo illi remedium tuleritis quantum quidem fieri potuit, dum iſti homines adhuc ſub fallaciſsimo & fraudulentiſsimo prætextu Quinque articulorum notoriorum & tolerantiæ mutuæ laterent. Nunc cum larvam poſuerint, & manifeſtiſsimum præſertim in *Vindiciis* ſuis fecerint, ſe *Socinianorum* Turcicis blaſphemiis totos perfuſos eſſe, ac eas in Belgium introducere velle, illiſque populos ſuos, quibus turpiſsimè impoſuerunt, inficere; facilius remedium erit. Dominum *Jeſum* verum unum atque æternum DEUM cum Patre & Spiritu S. ex animo rogo, ut veſtris Illuſtribus, Nobiliſsimis, Ampliſsimis, Dominationibus fortia ac ſalutaria in tanto negocio conſilia perpetuò inſpiret; Regimini, Adminiſtrationi ac perſonis veſtris benedicat, ad nominis ſui gloriam, Religionis Chriſtianæ conſervationem, & Reipublicæ incolumitatem. Amen. Scripſi Daventriæ 4. Octobris 1633.

V. V. V.

Illuſtrium, Nobiliſſimarum, & Ampliſſimarum Dominationum

Obſervantiſſimus cultor

NICOLAUS VEDELIUS.

PROLEGOMENA

Tertiæ Partis,

QVIBVS

Oſtenditur ratio diſputandi & agendi quâ Arminiani in Vindiciis ſuis uſi ſunt.

CAPUT I.

Propoſitio & eius explicatio.

I. Arminianos in Vindiciis ſuis non niſi improbos rabulas contra propriam conſcientiam agere.

I. ANTEQVAM *exhibeam Arcana nova quæ in ſingulis capitibis Vindiciarum ſuarum Arminiani produnt; exponam prius novum quoddam Arcanum quod per totum corpus iſtius ſcripti diſperſum eſt. Id conſiſtit in modo agendi quo in vindiciis ſuis uſi ſunt. Quia enim viderunt ſe veritate à me prolatâ in primâ parte Arcanorum ita conſtrictos teneri; ut, ſi regiâ & tritâ viâ agere vellent, aut tacendum ſibi foret, aut fatendum ſe hactenus turpiter Deo & hominibus illuſiſſe: hinc aliâ viâ incedendum ſibi duxerunt in iſto reſponſo ſuo. Itaq; modum delegerunt eum quem non Theologi pii, Iuriſconſulti probi, Philoſophi honeſti ſectantur; ſed quem rabulæ forenſes tenent, quando improbæ & injuſtæ cauſæ ſcelerati alicujus, impii, athei hominis ad tribunal rapti, contra conſcientiam ſuam patrocinari decreverunt. Tunc enim rabulæ non candorem, non probitatem, non honeſtatem ante oculos habent; ſed omni virtute longum valere juſſâ hoc ſaltem agunt, ut variis impoſturis & fraudibus Iudicum oculos præſtringant, eos circumveniant, & turpiter atque impudenter decipiant.*

Poſtquam enim clienti vària crimina à parte adverſâ objecta & ſolidè probata ſunt; ibi tùm perfrictæ frontis & ſceleratæ mentis rabula primùm hoc agit in orationis ingreſſu; ut, non ſine variis ſcommatis & petulantiâ multiplice extenuet omnia quæ à parte adverſâ prolata ſunt, ac judicibus, ſine omni tamen fundamento, perſuadeat, palpari penè utraque manu poſſe, ea nihil eſſe quàm ineptias & nugas meras. Deinde ubi ad rem veniendum eſt, & ad ſingula momenta accuſationis reſpondendum; ibi rabula ad alia capita reſpondet, alia autem ſicco pede tranſit & ne verbulo quidem reſpondet, quia videt nullam ſibi rimulam eſſe quâ elabi poſſit.

Ad quædam igitur capita accuſationis (quia aliter non poteſt) reſpondet ille quidem; ſed ita ut partem eorum quâ ſe maximè gravari ſentit, contra propriam conſcientiam neget, & dicat adverſarium impudentiſſimè mentiri. Probationes autem ab adverſario allatas quod attinet, eas vel non minus protervè quam ipſum crimen negat; vel ad eas ne verbulo quidem reſpondet, ſed diſſimulat & ſicco pede tranſit; vel, vult quidem videri reſpondere, interim tamen ſtudiosè & vafrè omittit illa in quibus vis probationis conſiſtit; vel denique, nequiter eas & contra propriam conſcientiam detorquendo eludere conatur. Ita agit rabula quando crimen objectum negat contra ſuam conſcientiam.

Partem autem aliam objectorum fatetur ille quidem; ſed ita ut, ſi verbi gratiâ ipſi aut clienti objectum ſit eum talia verba coram multis teſtibus protuliſſe, ſtudeat ea in alium ſenſum quàm verum detorquere. Et ut illud majori cum fuco faciat, etiam tùm, cùm fateri vult id quod objectum eſt, dicere audet adverſarium mentiri, nihil falſius eſſe quàm id caput accuſationis; & cùm verbis ſuis alium ſenſum affingere vult, adeò improbus eſt, ut dicat ſe ne quidem verba ipſa dixiſſe. Nam poſtquam ad præcedens aliquod caput accuſationis utcunque voluit reſpondit, dicet: Ex hoc facile colligere eſt quàm ineptè mihi tribuat accuſator quòd dixerim v.g. ſciri hodie non poſſe an & quis ſit Deus. Quid enim falſius? Optimè ſciri poteſt, imò & neceſſariò quiſque pro ſe ſcire debet an & quis ſit Deus &c. Sed cùm

ſciri poſſe

ſciri poſſe negavi an & quis ſit Deus,reſpexi ad ſignificationem illam vocis Dei &c.

Hoc modo cùm reſpondit rabula ad iſtud caput, accedit ad aliud; quòd quia confidit ſe pariter detorſione aliquâ eludere poſſe; fatetur illud quidem, ſed ita ut verbis ſibi aut reo objectis aliquid contra propriam conſcientiam aſſuat,& dicat per conſequens,adverſarium mutare ſtatum quæſtionis, eum ad ſtatum controverſiæ non attendere,ſed ubique à januâ aberrare. Nam longè aliud eſſe, dicere aliquid tale ſimpliciter; aliud autem dicere illud cum aſſumento quod rabula impudentiſſimè addit verbis clientis ſui.

Inde in reſponſione ad aliud caput quo vehementer premitur, & vix videt ullam rimam quâ elabi poſſit, fatetur etiam quod objectum eſt, quia pariter confidit ſe interpretatione aliquâ detortâ effugere poſſe; ita tamen ut, antequam ad rem veniat, præmittat extenuationem criminis graviſſimi; dicat, ea quæ objiciuntur nec oleum nec lucernam olere, ea adeò putida eſſe ac vernilia ut vix reſpondere poſſit; ſe tamen velle percurrere breviter ne cum accuſatore morari velle videatur; & tunc non dubitat affingere verbis quæ fatetur mentem directè ipſis contrariam, & contra propriam conſcientiam.

Vtitur etiam rabula alio modo. Quando enim aliquod crimen ſibi objectum fateri vult & defendere tanquam non malè ſed benè factum; cùm deberet ita loqui ut intelligere poſſent judices eum fateri id quod obiicitur, negare tamen id eſſe perperam aut ſceleratè factum: ipſe, cùm allegavit caput iſtud accuſationis, ita involvit orationem ut ſimpliciter dicat id quod obiicitur ineptum eſſe; dicet, catarrhum ſibi fluere, cùm hac inepta audit; ea inſcitiam & ſtupiditatem redolere; eſſe inſcitiæ fermentum &c. item; Quare quod addit accuſator reum hoc dixiſſe aut feciſſe ineptum eſt &c. Quod qui audit, exiſtimat rabulam hoc ſibi velle, nimirum eum negare caput iſtud accuſationis; ſed ille aliud vult,videlicet ineptum eſſe accuſatorem eò quòd habet illud, quod à reo admiſſum eſt,pro crimine ſeu malè facto.

Solet quoque protervus ejuſmodi & improbus rabula, quando neſcit quid reſpondere queat, fingere adverſarium hoc vel illud dixiſſe, ſeu de tali re quæſtionem eſſe de quâ tamen quæſtio non eſt, imò ipſe in conſcientiâ ſuâ novit de eâ re non agi. Quod magis eſt, fatebitur ipſe poſt multas nugas accuſatorem hoc non velle, ſed aliud aliquid.

Nonnunquam etiam verba accuſationis ſtudioſè divellit & dilacerat, à ſe invicem. Dicet: Cùm ait accuſator hoc &c. Emphaſis eſt aut in hac voce, aut in illâ, aut in iſtâ. Si in hac voce; quorſum altera vox? Si in illâ quorſum iſta vox? &c. Ita rabula quidem; cùm tamen illa verba nequaquam à ſe ſeparare debuiſſet, ut pote quæ non ſeorſim ſed conjunctim ſumta veram mentem adverſarii exprimunt. Atque hi quidem modi agendi ſunt inter alios multos, quibus rabula forenſis uti ſolet, quando reſpondere aliquid vult ad objecta crimina.

Porrò nonnunquam ubi videt nullam in orbe toto rimulam eſſe qua elabi poßit, nullum fucum ſupereſſe quo colorem det dictis aut factis ſuis; ibi tùm honeſtus ille Vir quia ne verbulo quidem vel in ſpeciem reſpondere poteſt; aliud nihil agit, quàm ut ſicco pede tranſeat objecta. In eum finem duplice hac fraude utitur. Primò enim extenuanda illa ſibi ſumit, & dicit digna non eſſe ad quæ reſpondeatur. Deinde non exprimit ſive commemorat capita accuſationis illa quæ extenuat. Etenim facilè videt ſiquidem ea commemoraret, ſe cauſæ ſuæ vel eo ipſo nociturum; intellecturos quippe ſtatim judices, rem non eſſe exigui momenti, ſed graviſsimam in ſe accuſationem continere. Quare ea aut generali modo loquendi involvit, & dicit; Cætera quæ accuſator dicit, nec lucernam olent, nec demorſos ſapiunt ungues; &c. Aut omiſſis illis in quibus nervus rei conſiſtit, fingit ea redire ad tale aliquod caput ſeu punctum ad quod tamen nequaquam redeunt; Spongiâ, inquiet rabula, hic opus eſt. Nullum enim lineamentum bonæ mentis vel artis hîc eſt. Hùc omnia redeunt. Aut denique dicet, quantumvis falſiſſimè, ſe ad id caput ante reſpondiſſe. Sed tunc veterator ille cavet rurſus ſibi diligenter ne exprimat & commemoret accuſationem ipſam totam; ſed aut rurſus gene-

ſus generali modo loquendi involvit dicens; De cæteris alibi ſeu ante actum: aut exhibet partem illius tantùm ſed ex quâ intelligi non poſſit, quid ſibi velit rabula niſi ad ſcriptum recurratur aut libellum adverſæ partis quæ ipſi crimen illud objecit. V. g. cum accuſatus eſt conſpirationis cum Hiſpano contra Rempublicam, non dicet, De conſpiratione à nobis initâ cum Hiſpano contra Rempublicam, quod dicit adverſarius, ante actum. Hoc modo, inquam, non utetur: ſed dicet: De Republicâ ante actum.

Imò adeò improbus eſt rabula, ut nonnunquam ubi ſub cœlo non videt ullum evaſionis locum, tantâ cum impudentiâ prætereat ea ad quæ ne verbo quidem reſpondere poteſt, ut (poſtquam adverſarium contumelioſiſſimè habuit, & ad pœnam aliquam ignominioſam eum condemnari poſtulavit, ac præterea per ludibrium oravit ut nihil gravius contra eum ſtatuatur) quia premitur adhuc aliquo accuſationis capite graviſſimo, addat: accuſationem autem aliam quæ famam & honorem noſtrum petit quod attinet, judices, annon graviore cenſurâ digna ſit, etiam atque etiam perpendite. Quæ ubi dixit in expectatione relinquit Iudices, qui exiſtiment eum commeraturum eſſe caput illud accuſationis & ad id reſponſurum: Sed ille quia impoſſibile ipſi eſt citra manifeſtam ſui confuſionem aliquid vel in ſpeciem reſpondere; nequaquam indicat quodnam caput illud accuſationis ſit, nec ad illud vel verbulo reſpondet; ſed ad aliud aliquod membrum accuſationis ſimili improbitate eludendum contendit.

Ex quibus omnibus apparet, eiuſmodi rabulam forenſem etſi imperito aut minùs attento auditori videatur perſpicuo orationis genere uti; revera tamen obſcuriſſimè agere. Involvit enim mentem ſuam ita, ut niſi benè attentus ſis & eius reſponſionem cum accuſatione adverſæ partis conferas, ſcire non poſſis mentem eius: atque id quidem eò minùs, quia alium ſenſum verba eius præ ſe ferunt, aliam autem mentem rabula fovet, ut ex dictis videre eſt. In ſumma nihil ferè intelligibile & obvium eſt, quàm convitia, quibus accuſatorem ſubinde & petulantiſſimè petit. Quod quidem facit in eum finem ut

niem ut imperitis videatur eò certior eſſe ſuæ cauſæ, adeoque ut illi dicant, eum egregiè mulctâſſe & excepiſſe adverſarium ſuum.

Vt autem eò liberiùs convitiari poſſit, fingit primò ſibi aut clienti ſuo dicto convitia eſſe ab accuſatore; & crimina veriſſimè objecta maledicentiam atque convitia vocat: deinde dicit contrà, ſe convitiari nolle, ſe enim hoſtem maledicentiæ eſſe; ſe convitia tàm odiſſe ut cedere malit quàm iis uti; uſurum tamen nonnunquam ſalibus innoxiis ut actio non ſit inſulſa nec frigida. Quod ubi præfatus eſt; ibi tùm imbrem maledicentiæ & petulantiæ in adverſarium effundit.

His agendi modis, optime Lector, ſi audires aut legeres Patronum cauſæ alicuius uti (prout ſæpè in foro fieri experientia, proh dolor, teſtatur) quid re benè expenſá & collatâ cum accuſationibus adverſarii, quid, inquam, animi tibi eſſet? quid ſentires? quid judicares? Annon pronunciares talem cauſæ Patronum in ſuâ conſcientia convictum eſſe malæ ſuæ cauſæ quam defendendam ſuſcepit; adeoque non eſſe eum dignum qui Iuris Sacerdos audiat; ſed eſſe impudentiſſimum, improbiſſimum & nequiſſimum rabulam; eum nullam micam honeſtatis, candoris, probitatis, nedum pietatis habere; & quamvis potiùs infamiam mereri, quàm ut ei in futurum liceat coram ſacro judicum vultu comparere, & cauſæ ullius patrocinium ſuſcipere?

Quid igitur dicemus, ſi oſtendero Hæreticos Socinianos ſive Antitrinitarios, qui ſe Remonſtrantium nomine tegunt & Orthodoxam doctrinam de Trinitate ſimulant, *ſpeciatim autem* Simonem Epiſcopium *Philoſophiæ & artium liberalium Magiſtrum olim Profeſſorem Theologiæ in Academiâ Leydenſi nunc Roterodami Hæreſes & blaſphemias ſuas ſpargentem, per cuius os cæteri miniſtri Arminiani in prædictis* Vindiciis *ſuis loquuti ſunt ac impietatem ſuam improbitatemque exſpuerunt, inter alios agendi modos (qui in Parte Quartâ Arcanorum ſuis hinc inde locis manifeſti fient) omnibus iſtis improbiſſimis agendi rationibus contra me in Vindiciis uſos fuiſſe? Annon unuſquiſque vel*

exinde

exinde agnoſcet, quo Spiritu iſti homines agantur? quàm malam cauſam defendant? quàm juſta contra & pia noſtra cauſa ſit? Annon unuſquiſque intelliget, eos in conſcientiâ malæ ſuæ cauſæ convictos, eam nihilominus contra propriam conſcientiam defendere? omni pudori, honeſtati, probitati (ut de pietate nihil dicam quæ in Antitrinitariis Hæreticis eſſe non poteſt) nuncium miſiſſe; & hoc ſaltem enixè conari ut Orbi Chriſtiano turpiſſimè imponant?

CAP. II.

Probatio propoſitionis, per inductionem modorum agendi, quibus Arminiani utuntur in Vindiciis ſuis.

1. Procœmium Arminianorum petulans & hiſtrionicũ. 2. Arminiani miniſtri negant contra conſcientiam propriam, quando aliter elabi non poſſunt.

1. I*Nitio igitur Vindiciarum ſuarum poſt Epiſtolam dedicatoriam in quâ tot ferè mendacia quot lineæ ſunt ut ex Parte* IV. *Arcanorum manifeſtum fiet, ſubjungunt ſcurrile, improbum, inhoneſtum, contumelioſum, petulans & ſcopticum proœmium, hiſtrionum in modum, qui, antequam agere incipiant, ludos primùm faciunt ſpectatoribus præcinio aliquo turpi, laſcivo, immundo ac profano. Id imitatos eſſe Arminianos videt unuſquiſque qui illud legit. In eo præcipuè agunt hoc, ut extenuent ea quæ ipſis in primâ parte Arcanorum à me objecta fuêre. Dicunt inter alia, p.* 2. *nihil in meo illo Tractatu* occurrere non protritum, obſoletum ac pervulgatum; *cùm eum legere inciperet, ait Epiſcopius,* faſtidium ſtatim ſe cepiſſe ac nauſeam, & cùm jâm tuſſis ingrueret, quæ me, *inquit*, penè ſuffocabat ex frigore, recordabar illud Perſii &c. Quis enim mecum non tuſſiat, qui hæc legit? *Et p.* 6. Inter iſtos eſt hic Vedelius, qui cùm non niſi eadem & multoties inculcata & conculcata regerat, quæ ineptias & nugas meras eſſe palpari penè utraque manu poteſt &c. *Quod*

an verum

an verum ſit, iis qui tractatum iſtum meum ſine præjudicio & affectu legerunt, dijudicandum relinquo.

2. *Poſt juvenile illud & petulantiſſimum prooemium ad rem ipſam accedunt. In hoc negocio ita verſantur, ut ad alia dogmata ſibi à me objecta reſpondeant, alias autem graviſſimi momenti accuſationes ſicco pede prætereant. Ea ad quæ reſpondere conantur, partem quâ ſe maximè gravari ſentiunt, contra propriam conſcientiam proterviſſimè negant, ac dicunt me mentiri. Ita enim cùm hinc inde in Apologiâ doceant,* Nulla dogmata Controverſa inter cœtus Chriſtianos ad ſalutem neceſſaria eſſe, *quemadmodum à me Par.* 1. *lib.* 1. *c.* 6. *veriſſimè & manifeſtimè ipſorum propriis verbis* αὐτολεξεὶ *eſt oſtenſum: audent tamen hi homines illud ſine ullo rubore ſæpiſſimè negare, & illud vocare meum* πρῶτον ψεῦδος *ſeu* fundamentale mendacium *lib.* 2. *Vind. cap.* 1. & 2. *Eâdem improbitate negant ea dogmata ſua, quæ iſto dogmate de Neceſſariis ut fundamento nituntur. Qualia ſunt:* Eos omnes cœtus Chriſtianos eſſe veram Eccleſiam, qui tenent dogmata non controverſa inter Chriſtianos. *Item:* Nullum cœtum Chriſtianum errare in Neceſſariis, ſed eos cœtus qui errant eſſe tantùm cœtus impuros errantes in non Neceſſariis. *Et alia quædam huius generis, prout indicavimus Parte* II. *Arcan. & ulteriùs patebit ex Parte Quartâ Arcanorum. Similiter negant ſe in dubium vocare in Apologiâ* adorationem Spiritus Sancti. *Negant ſe docere in eâdem Apologiâ:* Eos non eſſe Hæreticos quos tota Eccleſia Chriſtiana habet pro Hæreticis. *Negant ſe docere ibidem:* Ignorantiam etiamſi culpabilis ſit, excuſare à peccato Hæreſeos. *Item:* Hæreticorum tolerantiam Reip. ſalutarem eſſe. *Item:* Quaſcunque perſonas ad Synodum & judicium in eâ ferendum admitti debere, & quidem ſine ullâ miſſione Eccleſiæ. *Item:* Hæreticos pari jure poſſe coërcere Magiſtratum qui ipſos coërcere vult. *Denique;* Magiſtratum habere jus hoc duplex coërcendi Hæreticos; primùm ut flagellum è funiculis faciat, quo eos è templis ejiciat; deinde

ut ore,

ut ore, acri objurgatione & verbis ad mortem uſque ſi poſſit eos reprehendat. *Hæc omnia negant contra propriam conſcientiam ſuam, prout oſtenſum in ſecundâ parte, & clarius patebit ex Parte Quartâ.*

CAP. III.

Quatuor modi fraudulenti & improbi quibus Arminiani occurrunt probationibus eorum quæ contra propriam conſcientiam negant.

1. Arminiani quandoque protervè negant probationes allatas ſeu verba ſua, quibus oſtenſum eſt eos hoc vel illud docere. 2. Nonnunquam ſicco pede tranſeunt probationes, & ad eas ne verbulum quidem reſpondent. 3. Nonnunquam arripiunt partem probationis, ſed in quâ vis illius non conſiſtit; & ſicco pede tranſeunt verba in quibus vis & nervus rei poſitus eſt. 4. Nonnunquam verba ſua quibus oſtenſum eſt eos hoc vel illud docere falſificant, & in ſenſum detorquent quem verba eorum nequaquam patiuntur.

1. Q*Været aliquis: Quomodo igitur reſpondent Arminiani ad probationes allatas quibus in Arcanorum parte primâ oſtenſum eſt, eos iſta dogmata, quæ negant ſe propoſuiſſe, profiteri? Reſponſionis loco tenendum eſt, eos circa probationes à me allatas quatuor modis procedendi ſive quatuor impoſturis uti. Vel enim eas probationes non minus protervè quàm ipſorum dogmatum propoſitionem negant: prout faciunt circa dogma ipſis objectum.* Nulla dogmata inter Chriſtianos controverſa eſſe Neceſſaria ad ſalutem. *Inter alia enim Apologiæ loca quibus id oſtendi, adduxeram etiam locum quo fol. 12.*

fol. 12. *a. dicunt* ea tantùm eſſe neceſſaria ad ſalutem quæ apud omnes in confeſſo ſunt. *Hîc verò Arminiani lib.* 1. *Vindic. c.* 8. *p.* 45. *negant ſe dixiſſe ea tantùm eſſe neceſſaria ad ſalutem quæ apud omnes in confeſſo ſunt. Verba eorum ſunt*: At hoc non convenit cum ſententiâ Remonſtrantium, inquit Vedelius. Nam quæ apud omnes in confeſſo ſunt, de illis controverſia non poteſt eſſe. At neceſſaria apud omnes in confeſſo ſunt. *Ita formant exceptionem. Et reſpondent*: Minor hæc non eſt Remonſtrantium. *Hâc negatione quid impudentius eſſe poteſt? Adduxeram enim verba eorum quibus id expreſſe dicunt. Nam cum Cll. Proff. Leydd. reprehendiſſent eos, quod pauca tantum Neceſſaria ad ſalutem dicerent, & tamen ea non determinarent: Reſpondent illi Apolog. fol.* 12. *a.* Affirmantium eſt probare. Negantibus (Remonſtrantibus) ſufficit, ſi dicant ſe non videre unde aut quomodo præter pauca iſta, quæ apud omnes in confeſſo ſunt, alia plura adhuc neceſſaria eſſe oſtendi aut elici poſſit. *Hoc unum eſt.*

2. *Vel ſecundo loco, ad probationes allatas ne verbulum quidem reſpondent, ſed eas ſicco planè pede tranſeunt, ac ne quidem eas commemorant. Ita faciunt circa dogma ſibi obiectum, quo ſtatuunt*: Quaſcunque perſonas ad Synodum ſeu ſuffragiorum in iis ferendorum poteſtatem admitti debere ſine ullâ miſſione Eccleſiæ. *Id enim negare contenti Vind. lib.* 2. *c.* 6. *p.* 122. *reſpondent*: Hoc ita generatim enunciatum falſum eſt, & à Remonſtrantium verbis ac ſententiâ prorſus alienum. *Nequaquam autem reſpondent ad probationes luculentiſſimas à me allatas ex Apol. c.* 25. *f.* 285. *b. ubi aiunt*: Tantum abeſt, ut cum fidei negocium tractandum eſt in Synodo, Eccleſiæ miſſione opus ſit, ut contrà Eccleſia judicanda ſit perperám agere, cùm aliquos eo fine, ut quovis modo deciſionem faciant, ad Synodum mittit: & ii qui ſic mittantur, aut ab Eccleſiâ ſic mitti ſe ſinunt, provinciam planè indebitam atque illicitam in ſe ſuſcipiant. *Item*: Cujuſlibet eſt ſine ullâ miſſione accurrere eò, ubi de ſalutis æternæ ne-

gocio in

gocio in comitia itur. *Et f. 286.b.* Tantummodo id aſſerimus, ordinem illum illegitimum & divino juri repugnantem eſſe, quo ſancitur, ut in Synodis nullis liceat comparere, niſi qui à Conſiſtoriis aut Claſſibus, id eſt, à Paſtoribus ad eas deputantur & ablegantur, quando in iis de communi Eccleſiæ fide agendum eſt. Hunc Ordinem dicimus meram Papalem uſurpationem eſſe, & quæ cedit in maximum præiudicium Eccleſiæ. Quod ad omnes pertinet, ab omnibus æquo & pari jure tractari debet. Salutis autem æternæ & fidei ad ſalutem neceſſariæ negocium ad omnes æquè pertinere quis dubitaverit? *Hic ſecundus modus eſt, quo eludunt probationes, quibus oſtendi eos profiteri dogmata quædam quæ in Vindiciis contra propriam conſcientiam negant.*

3. *Tertiò, ita probationibus à me allatis nonnunquam occurrunt, ut velint quidem videri ſe ſicco pede non tranſire eas ſed reſpondere: interim tamen omittant ſtudioſe & vafrè illa verba in quibus vis probationis conſiſtit, ac aliam partem loci à me allegati adducant, atq; ad eam aliquid nugentur. Ita agunt Vindic. lib. 2. c. 9. p. 173. Objeceram ipſis quod in Apol. docent* Hæreticos par jus habere in Magiſtratum qui ipſos coërcere vult; *& probaveram id ex Apol. c. 24. f. 259. a. ubi contendunt Magiſtratui non licere Hæreticos coërcere corporaliter, & inter alia his conceptis verbis utuntur:* Omnes in SE IPSVM armat, qui in alios quos errare credit, armatur: Par omnium in omnes jus eſt. Qui ſibi jus tribuit coërcendi alios, idem aliis in IPSVM idem jus ut concedat neceſſe eſt. *Hîc boni illi viri, quia effugere non poſſunt, volunt quidem videri recitare probationem allatam & ad eam reſpondere, ſed ita ut fraudulenter diſſimulent & omittant verba ſua hæc in quibus vis querelæ meæ conſiſtit:* Omnes IN SE IPSVM armat qui in alios quos errare credit, armatur. *Item:* Qui ſibi jus tribuit coërcendi alios, idem aliis IN IPSVM IDEM jus ut concedat neceſſe eſt. *Et commemorant, tantum hæc verba:* Par omnium in omnes jus eſt. *Ac circa ea ſola veteratoriè ac futiliter ſophiſticantur, ut ex Parte Quartâ Arcanorum manifeſtum erit.*

4. *Quartò denique ita probationes quibus oſtendi eos hoc aut illud docere eludere conantur, ut palpabiliſſimâ fraude verba ſua propria falſificent, & in alienum ſenſum quem ipſa verba nequaquam patiuntur detorqueant. Ita agunt circa idem dogma Apologiæ, quo ſtatuunt:* Nulla dogmata Controverſa inter Chriſtianos eſſe neceſſaria ad ſalutem. *Probaveram eos ita docere multis locis Apologiæ. Ad quam probationem ita reſpondent, ut dicant* ſe loqui de iis dogmatis Controverſis, quæ ideò controverſa ſunt, quia eorum neceſſitas aut veritas nec ῥητῶς nec per conſequentiam omnibus ſanæ mentis obviam in Scripturâ contenta eſt. *Atqui hanc depravationem non ferunt verba propria ipſorum, & contraria eſt planè menti propriæ iſtorum ſimulatorum Antitrinitariorum, ut partim ex Parte hac Tertiâ lib. 2. c. 1. partim ex Parte Quartâ lib. 1. c. 8. manifeſtiſſimum erit.*

CAP. IV.

Modi quibus Arminiani utuntur, quando fatentur dogmata impia & pernicioſiſſima ſibi objecta.

1. Arminiani quandoque, cùm volunt verbis ſuis alienum ſenſum affingere, dicunt ſe ipſa verba non dixiſſe; adeóque cùm volunt fateri & conceptis verbis fatentur dogma objectum, negant ſe id propoſuiſſe. 2. Nonnunquam propriis verbis ſuis aliquid contra propriam conſcientiam aſſuunt; & exinde inferunt, ſtatum quæſtionis ab adverſario mutatum eſſe. 3. Cùm accuſationem graviſſimam & maximi momenti effugere fraudulenter conantur, contemtum ſimulant eorum quæ ipſis objecta ſunt. 4. Nonnunquam cùm fateri & defendere volunt

volunt id ipſum quod objicitur; dicunt id ipſum quod objicitur ineptum eſſe. 5. Ut habeant quod nugari poſſint, fingunt quæſtionem eſſe de tali aliquâ re de quâ quæſtionem non eſſe ipſi nôrunt, imo nonnunquam ipſi fatentur. 6. Divellere, dilacerare & exagitare verba ſingula ſtudent alicuius enunciationis & ſic circa eam ſophiſticantur; quam tamen veram eſſe ipſi fatentur.

1. *Atque hic quidem eſt unus modus, quo Arminiani utuntur, tunc quando reſpondere volunt ad objecta ſibi dogmata: qui modus conſiſtit in negando contra propriam conſcientiam. Videamus quomodo procedant, quando fateri volunt dogmata objecta. Primus modus in eo conſiſtit; quòd tunc cùm fateri volunt ſe aliquid dixiſſe & reverà conceptiſq; verbis fatentur, dicunt prius me mentiri, nihil falſius eſſe. Quod tunc faciunt, cùm verbis ſuis alienum ſenſum affingere volunt. Tunc enim quando ea in alium quàm verum ſenſum detorquere volunt, adeò inhoneſtè agunt, ut dicant ſe ne quidem verba ipſa dixiſſe. Sic enim v. g. cùm Vindic. lib. 1. c. 1. p. 9. 10. 11. multa protervè & futiliter ſophiſticati eſſent circa id quod dixeram de ſignificatione vocis* Hæretici, *veniunt ad id quod dixeram eos docere:* Hodie ſciri non poſſe quis ſit Hæreticus; *& primò me mendacii arguunt, poſtea fatentur ſe ita docere, & dicunt id intelligendum eſſe tali ſenſu quem ibi fingunt. Verba eorum p. 11. 12. ſunt:* Ex hoc facilè colligere eſt, quàm ineptè Remonſtrantibus hic & alibi tribuat Vedelius, quod ſtatuant ſciri hodiè non poſſe quis ſit Hæreticus. Quid enim falſius? optimè ſciri poteſt, imò & neceſſariò quiſque pro ſe ſcire debet, quis ſit Hæreticus, & quid Hæreſis. &c. Sed cùm ſciri poſſe negant Remonſtrantes quid ſit Hęreſis, aut quis formaliter aut propriè Hæreticus ſit, ad definitionem Hæreſeos & Hæretici reſpiciunt, quam &c. *Quæſo, quid hoc agendi modo improbius & inhoneſtius*

eſſe poteſt? Similiter objeceram ipſis, quod docent: Myſterium Trinitatis nullùm uſum ad fidem & pietatem per-ſe habere. *Quod ſi verum eſt dicebam ego, tùm dogma Trinitatis non eſt neceſſarium, imò ne utile quidem. Hîc honeſti hi & probi viri (quales ſe eſſe in Vindiciis ſuis ſpeciatim agendi & diſputandi ratione quâ utuntur, oſtendunt) negant primò Vindic. lib.* 1. *c.* 7. *p.* 36. *Se ita docere: poſtea fatentur, & colorem volunt dare effato illi ſuo, dicentes ſe loqui de numero trium perſonarum per ſe conſiderato & abſtracto à conceptu divinitatis:* Antecedens, *inquiunt (h. e. Remonſtrantes docent Myſterium Trinitatis nullum uſum ad fidem & pietatem per ſe habere)* falſum eſt: Apologia eorum videatur & Reſponſio ad Quintum profeſſorum Leydenſium ſpecimen, ubi eadem eſt accuſatio. Et ne relegem vos, Judices, ad libros, rationem audite; Myſterium Trinitatis creditu neceſſarium eſſe Remonſtrantes hactenus aſſeruerunt & adhuc aſſerunt, ac proinde illud uſum ſuum habere ut fateantur neceſſe eſt. *Hactenus negant ſe ita docuiſſe. Iam ſtatim fatentur, & iis ſuis verbis alienum ſenſum affingunt. Occurrunt enim probationi à me allatæ & dicunt:* Attamen diſertè contrarium aſſeruerunt in Apologiâ ſuâ *cap.* 3. *fol.* 52. & contrarium demonſtrarunt, cum Profeſſores qui eos eo nomine cenſuerant, quod nullos hujus myſterii protuliſſent redarguunt. Audite Judices; Conſequentiam hîc negant Remonſtrantes. Mutantur termini &c. *Hîc non negant ſe redarguiſſe Cll. DD. Proff. qui eos eo nomine cenſuerant, quod* nullos hujus myſterii uſus protuliſſent; *nec etiam poſſunt id negare, nam verba Apologiæ tam in textu quàm in margine clariora ſunt quàm ut ea negare poſſint; ſed tantum negant conſequentiam & in alium ſenſum eumque falſiſſimum verba ſua detorquent, quibus in Apol. contendunt, Doctrinam ſeu Myſterium Trinitatis nullum uſum habere.*

2. *Secundùm artificium huius generis eſt; quod nonnunquam ita fatentur dogma ſibi objectum, ut verbis propriis ſuis aliquid contra propriam conſcientiam aſſuant, nec eos pudeat, etiamſi falſitatis & fraudis*

fraudis à nullo non mortalium verba ipſorum inſpiciente convinci poſſint. Quo improbiſſimo fundamento poſito dicunt me mutare ſtatum quæſtionis, me ad Controverſiæ ſtatum non attendere, ſed ubique à januâ aberrare. Nam aliud eſſe, dicere aliquid ſimpliciter, aliud dicere illud cum reſtrictione, limitatione & aſſumento illo, quod verbis ſuis improbè addunt. Exempli gratiâ: Objeceram illis Par. 1. Arcan. lib. 1. c. 4. quod de S. Cœnâ Apol. c. 23. f. 250. b. dicunt: Peritioribus atque accuratioribus rerum æſtimatoribus, ritum hunc alioquin per ſe obvium ac facilem vanitatis neſcio cujus ſuſpectum eſſe. *Hic fraudulentiſſimi hi homines Vindic. lib. c. 4. p. 26. aſſuunt hæc verba quaſi à ſe in Apologiâ adhibita* ſic videlicet uſurpatum. *Et fingunt me de iſto eorum dogmate ſic fraudulenter à ſe limitato conqueri, & me inſcitiæ ſupinæ arguunt: quòd non attendam ad eam limitationem*: Quis hîc, *inquiunt*, non prima ſtatim fronte ſupinam quandam inſcitiam, ne quid gravius dicam, animadvertit? Nam aliud longè eſt, ritum hunc ſeu S. Cœnam Dominicam totam vanitatis ſuſpectam reddere; aliud ritum iſtum ſic intellectum & uſurpatum ſuſpectum reddere &c. *Et concludunt p. 27.* Atque hoc inde fit, quod ad Controverſiæ ſtatum non attendat, ſed ubique à januâ aberrat. *Atqui ſingularis improbitatis & impoſturæ ab unoquovis convinci poſſunt, ſaltem verba Apologiæ ipſorum inſpiciente, quæ limitationem illam nec habent nec ullo modo patiuntur, prout ex Parte Quartâ manifeſtum fiet. Simili propemodum fraude utuntur etiam in negatione dogmatis ſibi objecti cujus mentionem feci ſectione præcedente:* Myſterium Trinitatis nullum uſum ad ſalutem & pietatem per ſe habere. *Dicunt enim ſe negâſſe in Apologiâ numerum trium perſonarum per ſe conſideratum & abſtractum à conceptu divinitatis uſum ad ſalutem & pietatem per ſe habere. Unde inferunt me mutare terminos; cùm tamen nec illis terminis nec ſimilibus aut æquipollentibus uſi fuerint, ſed de ipſo myſterio ſeu doctrinâ de Trinitate id pronunciârint. Sed de hac re porrò agetur Par. IV. lib. 1. c. 7. unde patebit non Cll. DD. Proff. Leydd. aut me, ſed ipſos hos Antitrinitarios ſimu-*

rios ſimulatores & impoſtores mutare terminos ſuos. Nunc quæro anne hoc etiam agendi modo protervius aliquid fieri poßit? nimirùm cùm, quia elabi aliter non poſſunt, ipſi mutant terminos ſeu ſtatum quæſtionis, & clamant exinde me mutare terminos. Bone Deus, qualis eſt conſcientia & mens horum hominum, præſertim Epiſcopii per cuius os illi loquuntur!

3. *Tertium artificium in eo conſiſtit, quod nonnunquam quando interpretatione aliquâ detortâ colorem verbis ſuis dare & vim querimoniæ graviſsimæ effugere conantur; quò maiorem ſpeciem habeat impoſtura ſua, præmittunt extenuationem eorum quæ ipſis objeci; dicunt, ea nec lucernam nec oleum olere, eſſe adeò putida ut vix reſpondere poßint, ſe tamen velle percurrere ne mecum ſtulteſcere velle videantur. Objeceram ipſis quod docent Hæreticos par jus habere in Magiſtratum qui ipſos coërcere vult. Objeceram etiam convitia atrociſsima quibus Arminiani impetunt Magiſtratus qui Hæreticos verè ſic dictos coërcent. Objeceram etiam quòd, ut ne omnem poteſtatem Magiſtratui circa Hæreticorum coërcitionem eripere videantur, ei duplicem poteſtatem per ludibrium & petulanter concedant, quarum prior eſt ut Magiſtratus flagellum è funiculis faciat & eo Hæreticos è templis ejiciat; altera, ut eos verbis objurget & increpet ad mortem uſque ipſorum &c. Hîc quis non videt has querimonias graviſsimas & maximi momenti eſſe? At illi quia conſtituerunt partem illarum eludere detorquendo verba ſua contra propriam conſcientiam, præmittunt hoc proœmium Vindic. lib. 2. c. 9. p. 173.* Cætera quæ ſequuntur, nec oleum nec lucernam olent. Vultiſne, Proceres, ut ad ea reſpondeam? Vix poſſum, adeò ſunt putida ac vernilia. Percurram ne in minutiis cum Vedelio morari velle videar &c. *Et ſubjungunt detorſionem fraudulentiſſimam verborum ſuorum. Obſervet igitur Lector, quotieſcunque Arminiani utuntur extenuatione tali, ac dicunt v. g. Cætera quæ ſequuntur nec oleum nec lucernam olent &c. Id certum indicium eſſe ex unâ parte, agi de re magni momenti & quâ plurimùm ſe gravari ac premi ſentiunt; ex alterâ parte illos conſtrictos teneri & multùm*

multum laboráſſe in effugio aliquo quærendo, ſed aut nullum invenire potuiſſe, aut elumbe aliquod, miſerum, & jejunum ſophiſma commentos eſſe, ut ſuis locis oſtendam.

4. *Quartum artificium huius generis eſt; quod nonnunquam cùm dogma ſibi objectum fateri volunt & defendere; cùm deberent ita loqui ut intelligere poſſet Lector eos fateri id quod objicitur, & defendere velle, ac negare id dogma falſum, impium, noxium eſſe: ipſi poſtquam allegârunt caput iſtud accuſationis, ita involvunt orationem, ut dicant id ipſum quod objicitur ineptum eſſe; catarrhum ſibi fluere, cùm iſthæc inepta audiunt; illud inſcitiam & ſtupiditatem redolere; hoc quod dico ineptum eſſe; eſſe inſcitiæ fermentum. Quod qui legit, exiſtimat Arminianos velle negare dogma illud, & velle dicere ineptè illud & immeritò ipſis attribui: ſed illi aliud volunt, nimirùm verum quidem eſſe, ſe ita ſentire, ſed me ineptum eſſe, dum habeo id dogma pro impio, abſurdo, falſo, noxio. Ex exemplis res erit manifeſta. Dixeram ego Arminianos docere: Interpretationes ſeu Prophetias Hæreticorum, Enthuſiaſtarum, & omnes eas quas quis putat cum verbo Dei convenire, non eſſe peccatum, ſed cum ſummâ pietate conjunctas. Illi poſtquam ad alia dogmata ſibi objecta petulantiſſimè regeſſiſſent, & inter alia improbiſſimè dixiſſent, me* ſemper ad verbum Dei recurrere veluti anus ad armillam; *reſpondent lib. 1. c. 3. p. 23.* Ejuſdem commatos eſt quod ſequitur, Interpretationes ſeu prophetias has judicant, inquit Vedelius, non eſſe peccatum ſed cum ſummâ pietate conjunctas. Catarrhum mihi fluere ſentio cùm hæc tàm frigida atque inepta lego. Quaſi verò interpretationes ejuſmodi pio atque humili animo inſtitutæ peccatum eſſe poſſint, aut peccatum ſemper ſint in omnibus aliis excepto Vedelio cum ſuis &c. *Sic dixeram lib. 2. c. 4. quod docent;* Hæreticos non eſſe impios; *Item* Nullum Hæreticum eſſe blaſphemum propriè ſic dictum. *Hîc illi Vind. lib. 2. c. 4. poſtquam p. 98. ad aliud dogma objectum replicuiſſent, ac reſponſum his verbis clauſiſſent:* Quis non miretur in tàm brevi periodo duplicem huiuſmodi inſcitiam dicam an ſtupiditatem? *reſpon-*

dent p.

dent p. 99. Quæ ſequuntur neſcio profectò an minorem inſcitiam redoleant. Nam Remonſtrantes, inquit, negant Hęreticos impios eſſe aut blaſphemos propriè ſic dictos. Quid ergo? an Hæreticus quâ talis propriè dictus blaſphemus eſt? Attamen totâ definitione differunt. *Objeceram etiam quod docent:* Hæreticos eſſe homines innocentes imò innocentiſſimos, pios, piiſſimos, ſanctiſſimos. *Reſpondent illi ibidem.* Et hîc idem inſcitiæ fermentum eſt. Remonſtrantes enim tribuunt Hæreticis innocentiam &c. *Et defendere conantur quatuor argumentis innocentiam illam ſummam Hæreticorum. Dixeram etiam lib.* 2. *c.* 10. *p.* 145. *par.* 1. *Ex ſententiâ Arminianorum quâ ſtatuunt, verum ſenſum myſterii Trinitatis quem Antitrinitarii negant, non eſſe neceſſarium ad ſalutem, ex eâ, inquam, ſententiâ ſequi; negantes illum h. e. Antitrinitarios debere haberi pro veris Eccleſiæ veræ membris. Reſpondent illi Vind. lib.* 2. *c.* 10. *p.* 191. Quare quod addit Vedelius, tùm negantes illa debent haberi pro veris Eccleſiæ membris, ineptum eſt. Nam quid abſurdi in eo eſt, ſi illi dicantur pro veris Eccleſiæ membris haberi debere, qui non aſſentiuntur aut repugnant dogmatis, quæ non ſunt ſcitu aut creditu ad ſalutem neceſſaria? *Sic igitur jam Lector intelligit quid ſecundùm modum diſputandi Arminianorum* ineptum *ſit? Quis unquam audivit illud ipſum quod aliquis ipſe fatetur & defendit, debere ineptum ab eo ipſo dici. Non pugno de nudis vocibus quæ modò verum dicat liberæ unicuique ſunt. Sed de ſingulari proterviâ horum hominum loquor, qui, ut imperito Lectori imponant, aliud loquuntur aliud animo ſentiunt; Dicunt enim hoc ipſum quod ego dico eos docere &c. ineptum eſſe; cùm tamen hoc velint, nimirùm id ipſum quod ego dico eos docere non eſſe ineptum, ſed verum eſſe; me autem ineptum eſſe quod illud pro falſo habeo. Quæ certè plurimum differunt. Sed hoc illi eo fine faciunt, ut Lector primo intuitu aut ſuperficialiter legens (prout talia legi vulgò ſolent) non deprehendat ſeu videat eos fateri iſta impia & pernicioſa dogmata quæ ipſis objicio, ſed exi-*

ſtimet

ſtimet me ipſis immeritò & calumnioſè ea attribuere.

Quintò ſolent Arminiani, quando neſciunt quid reſpondere ad rem poſſint, formare ſibi umbram, contra quam plurima deblatterant, ac fingunt de hac vel illâ re quæſtionem eſſe, de quâ tamen quæſtio non eſt, imò de quâ quæſtionem non eſſe ipſi nôrunt in conſcientiâ, imò ipſi nonnunquam poſt inanes nugas fatentur tandem, me hoc non velle, ſed aliud aliquid. Atque hoc quidem artificium utramque paginam facit in Vindiciis eorum. Abſque quo fuiſſet, næ in pauciſſima folia redactæ eæ fuiſſent; & non habuiſſent illi quod vel in ſpeciem reſponderent. Quemadmodum enim ſcopus primæ partis Arcanorum fuit, oſtendere, Arminianos per Libertiniſmum omnis generis Hæreticos *in* Eccleſiam *Dei introducere conari; ita illi hoc crimen amoliri à ſe, ſed fruſtrà ſtudent. In eum finem quando ſermo eſt de Eccleſiâ Dei, irruunt illi, quò eò tectiùs poſſint ſophiſticari, in* Vedelium cum ſuis, *ut ſubinde loquuntur, h. e. in Reformatos quos illi Calvinianos vocant; & contendunt eos non poſſe ſibi majore jure tribuere nomen & privilegia Eccleſiæ quàm Sociniani, Ariani, aut quivis alii Hæretici ſibi ea tribuunt. Similiter quantum attinet Hæreticos, irruunt etiam ſubinde in* Vedelium cum ſuis *& contendunt Hæreticos v. g. Socinianos eodem jure poſſe nos pro Hæreticis habere & traducere quo nos pro talibus ipſos habemus. Atqui ſciunt illi me quæſtionem ipſis non moviſſe de* Vedelio cum ſuis *aut de his illiſve cœtibus, ſed de Eccleſiâ verâ, quæcunque tandem illa ſit, ſeu quicunque tandem ſint cœtus illi qui veræ Eccleſiæ nomen mereantur. Nam de illo altero ſeu de hypotheſi mihi diſputare non fuit nec dum eſt, propoſitum. Sufficit inſtituto meo hæc certiſſima veritas* In Eccleſiam Dei non eſſe introducendos Hæreticos; *ſeu* Hæreticos non eſſe habendos pro verâ Eccleſiâ: *quam maximam evertere Spiritus Arminianus in æternum non poteſt per nugas de* Vedelio cum ſuis; *prout vel ex eo patet, quòd ſi alius v. g. Theologus aliquis Wittebergenſis aut Ienenſis illis objeciſſet quæ ego objeci;* Vedelium cum ſuis *reponere ei non potuiſſent: imo contra, tunc omnem petulantiam, impro-*

bitatem & omnes nugas quas adverſum me & Reformatos omnes expuerunt in illum Theologum Wittebergenſem cum ſuis effudiſſent. Pari ratione; quando quæſtio eſt de Hæreticis, atque iis quæ vel Arminiani Hæreticis in Apologiâ tribuunt, vel nos Hæreticis competere dicimus, ſciunt ipſi Arminiani ſermonem non eſſe de Hæretico falſo ſic dicto, aut ſecundùm opinionem tantùm alterius, ſpeciatim illius qui verè Hæreticus cùm ſit alium tamen immeritò pro Hæretico habet; ſed ſermonem eſſe de Hæretico quem Cll. DD. Proff. Leydd. ſic vocabant in Cenſurâ Confeſſionis Arminianæ; ſeu, ut utar verbis ipſorum Arminianorum in Apologiâ cap. 24. *f.* 278. *a.* de iis, Quos Cenſor (*intelligunt modò laudatos Doctores*) vocat, Hæreticis. *Et fol.* 265. *a. b.* Loquor, *inquiunt*, de Hæreticis quos Cenſores ſic vocant. *Item f.*279.*b.* Demonſtrabimus cum Deo, hæreſin de quâ inter nos agitur, non debere nec poſſe aliud videri quam nudum ac merum errorem mentis. *Atqui modò laudati Theologi me cæteroſq; Reformatæ noſtræ Religioni addictos non habent pro Hæreticis; ſed pro Orthodoxis. Itaq; nugax, inane & ſophiſticũ eſt illud etiam quod plus quàm centies regerunt, & ad quod tanquam ſacram anchoram Antitrinitarii hi ſimulatores confugiunt: nimirùm Hæreticos habere Vedelium cum ſuis viciſſim pro Hæretico. Hoc uno ictu concidit maxima pars Vindiciarum & exanguis jacet; quandoquidem iſto ſuo miſero, elumbi, & turpi effugio atque Coccyſmo utroque omnia capita replent; abſque quo eſſet, coacti fuiſſent elingues & muti manere in defenſione Libertiniſmi ſui & introductionis omnis generis Hæreticorum, præcipuè Socinianorum in Eccleſiã Dei. Hæc duo exempla ſunt. In aliis eodem modo ſophiſticantur, & multa deblatterant contra umbram quam ſibi formant, & ſe formare ſciunt. ut ex eo patet, quod ipſi tandem poſt multas nugas fatentur de eâ re quæſtionem non eſſe, ſeu me non de eâ re ſed aliâ locutum eſſe. Propoſueram ego par.* 1. *lib* 1. *c.* 4. *conſilium, quod ſi* Chriſtiani populi *ſequantur, dicebam ego auream pacem Eccleſiæ brevi aut reſtitutum aut datum iri: nimirùm ut in judicio de controverſiis non incipiant à ratione, ſed à verbo Dei. Illi Vindic. lib.* 1. *c.* 4. *p.* 30. *oppugnant hoc*

gnant hoc

gnant hoc, eâ ſpecie, ac ſi ego Iudæis aut Gentilibus id conſilii propoſuiſſem; ac duobus argumentis probare volunt id conſilium Iudæis &c. non quadrare. Cùm tamen ſciant & ibi expreſſè ipſi dicant me hoc conſilium Chriſtianis ſaltem populis propoſuiſſe: Et ne quid reliquum ſit *inquiunt*, ad perfectam inſaniam, conſilium dat, quòd CHRISTIANI POPVLI ſi ſequantur auream pacem Eccleſiæ brevi aut reſtitutum aut datum iri promittit &c. *Et poſtquam ita ut dixi ſophiſticati circa Iudæos, Gentiles, Atheos fuiſſent, addunt ipſi:* Verum enimverò de Chriſtianis loquor, inquies, & qui Religionem Chriſti jam pro verâ amplexi ſunt. imò inquam, & his ſuſpectum eſſe debet hoc conſilium &c. *Similiter quia dixeram par. 1. c. 5. lib. 2. Arminianos* doctrinæ reſpectu *omnes à ſe diſſentientes tolerare velle &c. Ibi illi Vind. lib. 2. c. 5. p. 119. multa deblatterant & ſophiſticantur circa vocem* doctrinæ *à me uſurpatã; cum tamen ſciant me in iſto ſenſu quem ibi impugnant vocem eam non uſurpare, ut ex toto orationis meæ filo patet. Hinc ipſi poſt nugas illas impertinentes ibidem ſubjiciunt:* At, inquiet Vedelius, doctrinæ vocem iſto ſenſu non accipio. Malè, inquam. Eſto tamen &c. *Quis non videt vel ex hoc procedendi modo, hos homines hoc tantùm agere, ut videantur aut incauto aut decepto à ſe Lectori, me refutâſſe, reverâ autem ad incitas redactos eſſe, & malam cauſam defendere contra conſcientiam ſuam? Hoc tamen eſt illud artificium quo non in Vindiciis ſolùm, ſed etiam in Apologiâ utuntur, ut attentus Lector facile deprehendet.*

6. Sextò denique aliud protervum artificium hujus generis habent, quo verba mea, quæ conjunctim ſumta ſenſum unum atque integrum conſtituunt, adeoque divelli à ſe invicem non debent, illi tamen, ut aliquid nugari poſſint, ita divellunt ac dilacerant ut unum poſt alìud ſophiſticè, garrulè, & impudenter exagitent, quæ tamen ſimul ſumta vera eſſe ipſi fatentur. Exempli cauſâ: Dixeram ego Par. 1. Arc. lib. 2. c. 3. Puræ antiquitatis ſuffragium contra Hæreticos & in ſpecie Antitrinitarios ex verbo Dei latum unanimi conſenſu inde ab initio pro repagulo habitum fuit, quo illi ab

Eccleſiâ Dei abarcerentur ne eam invaderent. *Illi Vind. lib. 2. c. 3. divellunt verba mea improbè. Et quidem primò ſeorſim ſumunt vocem* Puritatis, *deinde vocem* antiquitatis: Alterum eſt, *inquiunt, p.* 82. antiquitatem Eccleſiaſticam conjungere cum voce purâ, & quidem purâ ex verbo Dei. Nam ſic tota Emphaſis & vis eſt in vocibus,pura, & pura ex verbo Dei. Si in puritate Emphaſis & vis eſt quorſum antiquitas? Si verò etiam in Antiquitatis voce vis eſt, quorſum puritas? *Denique paginâ demum* 86. *&* 87 *cavillantur aliquid circa voces* ex verbo Dei. *Quâ ratione diſputandi quis non videt hos homines omnia divina & humana improbè eludere poſſe? Et quidem eò major eſt protervia ipſorum in nugis iſtis prolixiſſimis quibus aliquot paginas replent, quod ipſi ibidem fatentur p.* 82. neminem niſi impurum antiquitatis puræ Eccleſiaſticæ ſuffragium ex verbo Dei contra Hæreticos latum reſpuere poſſe. *Id quod ipſum & quidem tantùm volebam iis verbis. Cùm igitur illic quidem ipſi concedant quod dixi, quæ, oro, protervia eſt, poſtea dilacerare & divellere ſingula quæ conjunctim vera eſſe ipſi fatentur? Atque hi quidem modi inter alios ſunt, quibus utuntur Arminiani, quando fatentur aliquid, & ad id reſpondere conantur.*

CAP. V.

Modi quibus Arminiani utuntur, quando ne verbulo quidem reſpondere poſſunt ad objecta ſeu querimonias graviſſimi momenti.

1. Arminiani quando nullam rimulam vident quâ elabi poſſint, extenuant ea quæ ipſis objiciuntur, ita tamen ut non exprimant quænam illa ſunt, nedum ad ea reſpondeant. 2. Interdum, omiſſis illis in quibus nervus rei conſiſtit, & extenuatis omnibus quæ

bus quæ ipſis objiciuntur, fingunt ea omnia redire ad unum aliquod, ad quod tamen nequaquam redeunt. 3. Interdum, quando nihil habent quod reſpondeant, dicunt, ſed falſiſſimè, ſe ad id alibi reſpondiſſe. 4. Interdum, quando ne verbulo quidem reſpondere poſſunt, contumelioſiſſimè & improbiſſimè auctorem habent, & orationem ita inſtituunt, ut præ ſe ferant ſe velle proponere & refutare objecta; neutrum tamen faciunt, ſed Lectorem naſo adunco ſuſpendunt.

1. *Vidimus quâ ratione Arminiani rabulas agant circa illa dogmata ad quæ reſpondere conantur. Videamus nunc, quomodo eadem arte defungantur circa alia dogmata quæ ipſis objecta ſunt. Diximus rabulas nonnunquam, quia veritatis vi ita conſtricti tenentur, ut nullam rimulam videant, quâ in ſpeciem elabi poſſint; ſicco pede tranſilire crimina ſibi objecta & ad ea nihil reſpondere. Id etiam Arminiani faciunt. Quem in finem duplice hac fraude utuntur. Primò enim extenuandas ſibi ſumunt querimonias & accuſationes graviſſimas, & dicunt dignas non eſſe ad quas reſpondeatur. Deinde non exprimunt, nec commemorant quæ ſint illa accuſationis capita, quæ ſibi extenuanda & diſſimulanda ſumsêre. Etenim ſciunt, ſiquidem commemorarent ea, unumquemque ſtatim intellecturum eos malâ fide agere dum extenuant ea quæ nequaquam extenuanda ſunt, ſed graviſſimum in ſe momentum continent. Itaque involvunt ea generali modo loquendi & dicunt, Cætera quæ ego dixi nec lucernam nec oleum olere &c. itaque ſe illa præterire. ſic faciunt Vindic. lib. 2. c. 5. p. 120. Oſtenderam ego & evidentiſſimè probaram lib. 2. c. 5. p. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 176. Arminianos miniſtros turpiter toti orbi impoſuiſſe, dum perpetuò venditarunt ſe per Tolerantiam mutuam quam urgebant nihil aliud quam pacem Eccleſiæ & compoſitionem diſſidiorum Chriſtiani orbis quærere.*

quærere. Manifeſtum quippe jam eſſe probaveram, iſtam tolerantiam & pacem eò tandem redire ut ex eâ Arminiani excludant omnes cœtus qui Deum in tribus perſonis adorant & Antitrinitarios Hæreticos tolerare nolunt; cœtus inquam, omnes Reformatos, Lutheranos & Pontificios, adeoque in ſuâ tolerantiâ mutuâ & pace non comprehendant nec pro membris veræ Eccleſiæ habeant niſi eos qui Deum in tribus perſonis non adorant. h. e. Socinianos Hæreticos, Libertinos ſeu Atheos, & ex Anabaptiſtis qui volent; quâ re profectò nihil indignius, nihil magis illuſorium eſſe poteſt! Ecquis non videt me ipſis ſummum crimen objicere, quod vel ſolum ſufficiat ad manifeſtandam indolem fraudulentiſſimam ac impietatem horum Theologorum, & eos abominabiles reddendos omnibus qui Deum in tribus perſonis adorant; quandoquidem tàm illuſoria tàm impia tam abominabilis eſt pax illa & tolerantia mutua quam hactenus venditârant? Ad hanc igitur querelam graviſſimam quid regerunt egregii hi homines? Proponantne eam? & reſpondentne aliquid ad eam? Nihil minus. Sed p. 120. inquiunt: Cætera quæ in hoc capite ſunt, ejuſdem omnia ſunt commatos. Nec lucernam olent nec demorſos ſapiunt ungues. Dato uno abſurdo multa ſequi neceſſe eſt. Quocirca concludemus hoc caput &c. *Quaſi verò, ut hoc obiter dicam, cauſa noſtra talis ſit, ut opus habeamus in illius defenſione adverſus deploratam cauſam Arminianorum ungues noſtros demordere aut rodere! Hanc curam ad M. Epiſcopium & ſimiles Antitrinitarios ſimulatores pertinere unuſquiſque videt, qui cum judicio Vindicias ipſorum legit. Eos enim per ſeptemdecim aut octodècim menſes ſtrenuè demordiſſe ungues ſuos, h. e. mirè ſe torſiſſe quibuſnam tandem mendaciis, fraudibus & impoſturis cauſæ ſuæ execrandæ mederentur, & fucum orbi Chriſtiano contra manifeſtiſsimam veritatem facerent, evidentiſsimum eſt. Vtrum autem ex reſponſo noſtro rurſus jam materiam habeant demordendi & corrodendi ungues ſuos, ipſi viderint!*

2. Interdum autem, omiſsis illis in quibus nervus rei præcipuè conſiſtit, & extenuatis omnibus, fingunt ea quæ ipſis objecta ſunt redire ad

dire ad tale aliquod caput ſeu punctum ad quod tamen nequaquam redeunt; adeoque ad præcipua non reſpondent. Ita faciunt lib. 1. c. 3. p. 19. ubi ſic ordiuntur: Hoc caput habet tot concatenatas ineptias, ut pœniteat penè conſectari eas ac numerare. Ad unam & præcipuam hanc redeunt omnes: Libertatem prophetandi extendendam eſſe ad omnia controverſa dogmata, non ſolùm ea quæ controverſa ſunt, ſed etiam quæ controverti poſſunt in futurum: eamque omnibus Chriſtianis permittendam eſſe quouſque eam ſibi quiſque concedi amat. *Atqui falſiſſimum eſt ad unum illud punctum redire omnia quæ ipſis in iſto capite objeci. Omittunt enim & non commemorant primam eamque graviſſimam partem, quâ conqueſtus eram de eo quod docent:* Liberum eſſe debere unicuique interpretari Scripturam interpretatione tali, quam quis ſenſui & menti Dei optimè quadrare credit. Adeoque etiam Deum colere eo cultus modo quem credit ſibi præſcriptum à Deo eſſe. *Hæc duo membra utpotè odioſiſſima & Libertiniſmum ipſorum nimis apertè detegentia aſtutè omittunt, quæ utique ab uno eo quod commemorant non parum differunt, ut unuſquiſque videt, & in primâ parte Arcanorum cap. 3. p. 17. 18. 19. ſufficienter eſt indicatum. Similiter faciunt cap. 6. ejuſdem lib. 1. Vindic. p. 34. Objeceram ipſis cap. 6. Arcanorum lib. 1. hæc dogmata:* Ea tantùm eſſe Neceſſaria creditu ad ſalutem quę extra Controverſiam ſunt inter Chriſtianos, ſive quæ apud omnes in confeſſo ſunt. Ea quæ non ab omnibus Chriſtianis videntur ſeu agnoſcuntur non eſſe ſimpliciter clara ſeu manifeſta. Imò quædam quæ ab Hæreticis, & ſic ab omnibus, non agnoſcuntur; tamen Reformatis, Lutheranis, Pontificiis clara ſunt, & ab ipſis pro veris, quædam etiam pro Neceſſariis ad ſalutem habentur, non exſtare in Scripturâ. Adorationis Spiritus S. ne indicium quidem manifeſtum in Scripturâ exſtare, imò ne hilum quidem. De ſimplicitate Dei ne jota quidem in Scripturâ eſſe. Nullum locum in Scripturâ totâ eſſe unde appareat Patres Veteris T. in I. Chriſtum credidiſſe. Ea tantùm eſſe clara & manifeſta,

nifeſta, quæ apud omnes Chriſtianos in confeſſo ſunt, ſive ab omnibus agnoſcuntur. Neceſſaria eſſe pauca, ita ut omnia Controverſa exinde excludantur. Et quidem ea pauca tribus tantùm comprehendi: Quæ ſola firmiter & conſtanter credenda ſint. *Hîc illi allegatâ p. 34 non commemoratis dogmatis, caput ſuum ſextum ſic ordiuntur:* Spongiâ hîc opus eſt. Nullum enim lineamentum bonæ aut ſanæ mentis vel artis hîc eſt. Huc omnia redeunt; Remonſtrantes affirmant] ea tantum eſſe præciſè ad ſalutem ſcitu ac creditu neceſſaria quæ vel ex claris atque apertis Scripturarum verbis vel per evidentem & Sole clariorem conſequentiam neceſſaria eſſe cuivis mentis tantùm ſuæ compoti conſtare poteſt, eaque pauca eſſe ex Theologorum Reformatorum, imprimis ex Regis M. Britanniæ & Molinæi diſertâ confeſſione evincunt. *Tu Candide Lector confer hanc ipſorum reſponſionem cum dogmatis quæ modò rècenſui, & judica an iſta omnia eò redeant, quò ipſi nugantur?*

3. *Nonnunquam etiam dicunt Arminiani, quantumvis falſiſſimè, ſe ad caput ſeu crimen objectum alibi reſpondiſſe. Sed tum rurſus quia fraudem alioquin ſuam & cauſam improbam nimis detegerent, cavent ſibi diligenter ne commemorent & exprimant quæ ſibi objecta ſunt: ſed ea vel generali modo loquendi involvunt, vel ex objecto impio dogmate aut crimine particulam aliquam decerpunt, ex quâ nemo poſſit intelligere de quâ re quæſtio ſit. Objeceram ipſis lib.* 1. *c.* 8. *p.* 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. *hoc crimen, nimirùm quòd doceant contemnere, exſibilare, & explodere dogmata multa vera controverſa graviſſimi momenti, imò quædã quæ ſimpliciter ad ſalutem neceſſaria ſunt, ut oſtendi ibidem uberrimè ex Apologiæ plurimis locis. Reſpondent illi lib.* 1. *Vindic. c.* 8. *p.* 48. Cætera quæ in hoc capite ſunt ex his facilè æſtimari poſſunt, & prolixè in Reſponſo Remonſtrantium ad ſpecimen Profeſſorum Leydenſium ventilata ſunt. *Sed hoc falſiſſimum eſt. Nam, ut antea Arminianis id crimen non objectum, adeòque nec probatum fuit iſtis documentis quæ ego protuli; ita ad id non reſpondere poſſunt in libro illo ſuo qui eodem*

tempore

dem tempore ſub prælo erat cum meo primo tractatu. Etiamſi hoc non inficias eam; eos in Reſponſione ad Excerpta Cll. DD. Proff. Leydenſium (qui nonnulla loca Apologiæ quæ ego inter alia adduco ad probationem criminis iſtius, protulerant ut oſtenderent Arminianos in multis aliis articulis quàm Quinque notoriis illis abire à doctrinâ Eccleſiarum Reformatarum) docere conſentanea iis locis Apologiæ quæ ad probandam iſtam querimoniam meam adduxeram; adeòque in Reſponſione illâ confirmare veritatem accuſationis meæ; quod magis eſt, tredecim aliis modis in eâ docere exſibilare & contemnere dogmata vera controverſa, prout patebit ex libro primo hujus Partis tertiæ cap. 8. Vnde etiam quæ ipſis iſto capite 8. partis primæ objeceram, meritò pro confeſſis accipio. Sed illud profectò non eſt reſpondere ad crimen cujus ego reos ipſos perago; nec ventilare aut refutare ea quibus ibi oſtendo quàm falſa & pernicioſa illa ſint, quorum prætextu docent dogmata Controverſa vera contemnere, exſibilare, explodere. Similiter lib. 2. par. 1. c. 5. p. 166. 167. objeceram ego ipſis, & ex propriâ ipſorum Confeſſione adeóque argumento novo & ante hac non uſurpato (quod ideò tantum dico ut impudentia horum hominum appareat, dicentium ſe ante hac ſæpius refutâſſe quæ ibi ipſis objicio) probaveram Arminianos communionem colere cum Socinianis Hæreticis, ac eos præ cæteris ſectis complecti & in Eccleſiam introducere conari. Hîc illi quomodo reſpondent? Poſteaquam lib. 2. Vind. c. 5. p. 118. dixiſſent: Quæ poſtea ſubjicit de Anabaptiſtarum errore circa Pædobaptiſmum ex his facilè poſſunt æſtimari &c. *ſubjiciunt:* De Socinianis jam antè ſæpiùs actum eſt. *Et ne verbulum ultrà addunt, ſed pergunt ad aliud. Hîc, quæſo, quis eſt qui divinare poſſit de quâ re quæſtio ſit? Nam ex antecedentibus ipſorum verbis id colligi non poteſt, idque eò minùs quòd cùm ipſis objeciſſem eos communionem colere cum Anabaptiſtis; illi de communione fraudulenter tacent, & fingunt me ſaltem de Anabaptiſtarum errore loquutum eſſe. Et ego non tàm de Socinianis quàm de Arminianis & eorum communione cum Socianis loquutus fui. Quare ſi candidè agere voluiſſent, non debebant dixiſſe,* De

 Socinianis

Socinianis *ſed* de communione quam nos dicit colere cum Socinianis &c. *Quibus accedit, quòd videri volunt illis verbis innuere ſe ante ſæpiùs refutâſſe id quòd ipſis objeci. Sed hoc falſiſſimum eſt. Nam etſi, cùm ipſis à Cll. DD. Proff. Leydd. objiceretur, quòd videantur in communionem ſuã recipere Socinianos, id in Reſponſione ſua fateri nolint; tamen ad argumentum novum poſtea à me prolatum loco allegato Arcanorum petitum ex propriâ Confeſſione ipſorum Præfat. Apolog. numquam in hunc uſque diem ne quidem in Vindiciis reſponderunt.*

4. *Imo non nullibi adeò improbi ſunt hi homines, ut quando ſub cœlo non vident ullum locum evaſionis, tantâ cum impudentiâ prætereant ea quæ à me objecta & probata ſunt, ut, quia ad ea reſpondere non poſſunt, præ rabie contumelioſiſſime in meam perſonam omiſſis rebus involent; & præterea orationem ita inſtituant ut Lector exiſtimet eos velle commemorare ea quæ à me propoſita ſunt & refutare: interim tamen Lectorem fallunt, ac neque commemorant ea neque refutant. Capite 7. lib. 1. par. 1. conqueſtus eram, quod doceant;* Myſterium Trinitatis nullum uſum per ſe habere ad fidem & pietatem. *illi Vind. lib. 1. c. 7. p. 36. præter reliquas nugas, poſtquam finxiſſent me voluiſſe* uſum *indicare Myſterii Trinitatis, adeoque, ut me refutâſſe viderentur, ſibi umbram formâſſent quàm oppugnarent, addunt egregii hi Viri p. 37.* Quare cùm nullum alium uſum alleget Vedelius, videte annon ferulâ dignus ſit præceptor hic. Nihil enim gravius contra eum, ut ſtatuatur, oro. *Sed pergunt. Nam quia oſtenderam eos ſtante ſuâ doctrinâ, quâ non habent verum ſenſum myſterii Trinitatis pro neceſſario ad ſalutem, quemadmodum in Epiſtolâ ſuâ, dicebam, Hagam Comitis ſcriptâ videri volunt id pro neceſſario habere.* Eſtne enim hoc, *dicebam inter alia p. 53.* aliquod dogma pro neceſſario habere, & tamen eius verum ſenſum non habere pro neceſſario? *Hic quia homines hi ſub cœlo non inveniunt quomodo elabi poſſint; nihil aliud regerunt, quàm quod (poſtquam dixiſſent* Nihil enim gravius contra eum ut ſtatuatur oro) *immediatè*

ſubjungunt

ſubjungunt eâdem p. 37. Exceptiones tamen eius contra Epiſtolam Remonſtrantium, annon graviote cenſurâ dignæ ſint, etiam atque etiam perpendite. *Quis ubi poſtrema iſta verba legit, non exiſtimet eos velle commemorare, quænam ſint illæ Exceptiones, ut ibi loquuntur, contra Epiſtolam Remonſtrantium; & velle eas perpendere cum Lectore ac refutare? Relinquunt enim eum in huius rei expectatione, ut unuſquiſque videt. Sed illi quia impoſſibile ipſis eſt ſine manifeſtâ detectione hæreſeos Socinianæ ſeu Antitrinitariarum blaſphemiarum quibus ex animo addicti ſunt, aliquid vel in ſpeciem reſpondere (ut oſtendi Par.* II. *lib.* I. *c.* 4.) *nequaquam vel verbulo indicant, quænam illæ exceptiones ſint, nec ad illas vel unicâ ſyllabâ reſpondent, ſed ad aliud dogma accedunt, & ſic Lectorem naſo adunco ſuſpendunt. Atque, ut ei tutiùs imponere poſſint, ligant ſequentia verba cum præcedentibus per particulam* ergò, *quò Lector exiſtimet eos non deſerere velle cœptum ſermonem præcedentem ſed eum continuare, atque ad eas Exceptiones reſpondere in ſequente accuſationis capite. Ita enim immediatè ſubjiciunt, poſtquàm dixiſſent* etiam atque etiam perpendite: Ad ſecundum ergò caput accuſationis veniamus in quo agitur de myſterio Trinitatis non conſiderato ſimpliciter uti expreſsè eſt revelatum in Dei verbo, ſed ut eſt controverſum inter Orthodoxos & Antitrinitarios. Dogmata illa ſunt; in unâ eſſentiâ divinâ eſſe tres perſonas &c. *Vides, pie Lector, ſi nihil aliud quàm hoc eſſet, quàm fraudulenta mens horum hominum ſit; & vel ex hoc intelligis eos in conſcientiâ ſuâ cauſæ ſuæ malæ convictos eſſe, & tamẽ eam nihilominus contra propriam conſcientiam defendere.*

CAP. VI.

Concluſio τῶ προλεγομένων, ſeu, Quatuor Corollaria ex ſuprà dictis fluentia.

1. Obſcuritas Reſponſi Arminiani h.e. Vindiciarum.
2. In eo nihil ferè obvium & intelligibile omni-

bus, quàm maledicentia adverſus auctorem. Quo fine uſi Arminiani fuerint iſtâ maledicentiâ? Illius Exempla pauca ex infinitis. 3. Quid de his Theologis judicandum ſit? 4. Quâ re nitantur & confidant, ubi reſpondere denuò Auctori voluerint?

1. E*Numeravi varios modos quibus Arminiani miniſtri uſi ſunt in Vindiciis ſeu Reſponſo quod primæ parti Arcanorum oppoſuêre. Non autem recitavi nec exempla omnia nec modos omnes. Sufficiant in præſentiarum quæ à nobis modò commemorata ſunt. Cætera improbitatis Arminianæ artificia atq; exempla, qualia ſunt retorſiones, ſed falſiſſimæ, conjunctæ cum ironicâ & ludicrâ verborum meorum imitatione &c. partim lib. 1. c. 6. & 9. huius Tertiæ partis, partim in Quartâ Parte hinc inde ſuis locis videre licebit. Ex dictis jam hæc Quatuor manifeſta fiunt.* Primò, *hos homines, etſi imperito aut minùs attento Lectori videantur perſpicuo orationis genere in Vindiciis ſuis uti; reverâ tamen obſcuriſſimè agere. Ita enim temment ſuam plerunque involvunt, ut niſi benè quis attentus ſit, & Reſponſum eorum cum Parte primâ Arcanorum conferat, ſcire non poſſit in plurimis mentem eorum; idque ideò præcipue, quia alium ſenſum verba eorum præ ſe ferunt, aliam autem mentem ipſi animo fovent, ut ex allegatis exemplis apparet.*

2. *In ſummâ nihil ferè in Vindiciis ipſorum planum, perſpicuum & obvium eſt, quàm convitia & contumeliæ quibus me petulantiſſimè ubivis petunt; & quibus agunt non ex rei veritate, ſed ex ſuo more; atque manifeſtum faciunt ſe ideò maledicere quia benè loqui non didicerunt. Quâ quidem maledicentiâ adverſum me utuntur ob duplicem finem; primò enim volunt videri apud homines ſibi addictos, quorum pars maxima non novit qualia monſtra miniſtri ſui alant, præcipue autem apud imperitiores & negligentiores, volunt, inquam, videri eò certiores cauſæ ſuæ eſſe. Apud horum enim multos non dubitant quin iſtâ petulantiâ aſſequuturi ſint ut dicant:* Ecce quàm ſtrenuè & egregiè Calvinianos excepit Epi-

cepit Epiſcopius! Quàm præclarè Vedelium & ut meretur tractavit! *Solent quippe vitia virtutum nomine ab iniquis & imperitis hominibus appellari, contrà quàm à Sapientibus & cordatis viris fit, qui longè aliter de tali modo procedendi judicant. Deinde, ſperarunt Arminiani, ſe maledicentiâ ſua effecturos ut tædio & faſtidio iſtius nequitiæ ipſorum affectus mutus eſſem, & nihil Vindiciis ipſorum reponerem. Hoc enim certò eventurum prædixit Epiſcopius in proœmio iſto ſuo petulantiſſimo pag.* 2. Exinde, *inquit*, habebimus hominem (*de me loquuntur*) piſce mutiorem. *Quam ob cauſam Veri ne Prophetæ an Pſeudoprophetæ nomen M. Epiſcopius mereatur, iis dijudicandum relinquo, qui hactenus fidem adhibuerunt ipſius Libertati prophetandi.*

Vt autem eò liberius convitia mihi dicere & petulanter in me debacchari poſſent, fingunt ſubinde in Vindiciis me ſibi convitia dicere, ut faciunt lib. 1. *cap.* 4. *p.* 26. *& cap.* 8. 49. *& lib.* 2. *c.* 9. *p.* 173. *Quod falſiſſimum eſſe ex tractatus mei iſtius lectione patet; in quo etſi veritatem liberè dixerim, tamen tantum abeſt ut convitiis eos petierim ut etiam honorificè cum iis egerim, quemadmodum ſpeciatim ex Concluſionis lectione apparet. Quod poſterius, ut liberè verum dicam, non feciſſem, ſiquidem ita ſeſe tunc temporis prodidiſſent & manifeſtiſsimum feciſſent prout nunc fecerunt, ſe ſimulatores in negocio Religionis eſſe, adeòque Deo hominibuſque illudere, nec non Hæreſibus & blaſphemiis Turcicis Antitrinitariorum ex animo addictos eſſe. Tales enim homines ut jurati hoſtes & Filii Dei & Eccleſiæ ipſius ſunt; ita nemo pius eos ſatis execrari & deteſtari poteſt. Nec dum mihi propoſitum eſt convitiis & maledicentiâ cum iis certare; ſed ſaltem conſtitutum eſt crimina ipſorum indicare, ut antehac in parte primâ & ſecundâ, ita jam in parte Tertiâ atque in futurum in Parte Quartâ Arcanorum; cùm ut in negotio ſimili S. Cyprianus Epiſt.* 3. *lib.* 1. *ferè Loquitur*, non tàm dolor apud nos debeat quàm pudor loqui; & non maledicta ſed crimina & peccata congerere deceat, *Sed hi homines adeò perverſi ſunt, ut, quando conqueror de doctrinâ ipſorum & dico eam impiam eſſe, aut fontem ſeditio-*

ditionum, clament me convitiis uti, quò ſcilicet eò licentioſius tunc in me debacchari poſſint; prout faciunt Vind. lib. 1. *c.* 8. *p.* 80. *& lib.* 2. *c.* 10. *p.* 173. *Hoc prius eſt artificium quo utuntur hi homines ut liberius & petulantius in me debacchari poſſint. Alterum eſt, quòd quando convitiis, ſcommatis, & contumeliis me petere conſtituerunt, fingunt ſuam indolem alienam eſſe à convitiis, proteſtantur ſe illis uti nolle; ſe nec aures nec linguam ad ea habere:* Ad convitia, *inquiunt in eodem proœmio hiſtrionico ſuo p.* 6. & maledicta nec aurem nec linguam habebimus. *Planè quemadmodum in Reſponſione ad Excerpta p.* 20. *dicunt:* Remonſtrantes convitia tàm ſollicitè fugiunt, ut cedere malint quàm convitiari. *Et tamen jam convitiis & ſcommatis plurimis ferè in ſingulis verbis me petierant atque in paucis illis paginis; & poſtea imbrem denſiſſimum convitiorum, calumniarum, mendaciorum, & ſcommatum petulantiſſimorum quæ Epiſcopius ibidem ſales innoxios impudentiſſimè vocat, in meum caput per totum librum ſuum effundunt; prout omnes honeſti & cordati viri cum deteſtatione malitiæ & improbitatis iſtius viderunt, qui hactenus Vindicias eorum vel inſpexerunt ſaltem. Nec poſſunt dicere, ea non eſſe convitia, ſed eſſe accuſationes graves ac ſerias. Quid enim? ſuntne hæ accuſationes graves ſeriæ ac dignæ Theologis, quando inter alia ſexcenta convitia & ſcommata petulantiſſima dicunt:* Anticyras naviget Vedelius & Helleborum bibat, alioquin Hæreticum brevi præ inſaniâ faciet inceſtuoſum, perduellem, veneficum &c. *p.* 13. *Item:* Relinquamus hoc rudibus & bardis iſtis Theologis qui ſub Alpibus educati nive frigidiora pectora in Belgium afferunt *p.* 15. *Item:* Tenebrio hic *p.* 23. Quo judice? an quia tu ineptiſſimus homo ita cenſes? *ibid.* Dignus es qui inter cathedras diſcipulorum adhuc plorare jubearis *p.* 24. Putide Calvini aſſentator &c. *p.* 33. Videte annon ferulâ dignus ſit præceptor hîc *p.* 37. Vedelius dignus eſt ut propter hoc acumen fœnum edat *p.* 38. Accerſite Logicos & Metaphyſicos aut ad eos ablegate Doctorem hunc ut ſapere eum doceant in ſubdivali, & Philoſophiæ ſacris initient *p.* 39.

p. 39. *Sic p.* 48. *optant mihi* bonam mentem & ſenſum non reprobum. Miſelle Doctor *p.* 51. *Et quia S. Hilarium ante hac edidi ſeu Antidotum contra Triſtitiam pro ſanctâ hilaritate mentis in Deo; quo ſcripto ex verbo Dei conſolari mihi propoſitum fuit omnes ob quancunque cauſam ſeu afflictionem cum triſtitiæ morbo colluctantes, præcipuè autem eos qui ob veritatis Divinæ profeſſionem conſtantem in Germaniâ oppreſſi jacebant aut etiamnum jacent; dicunt illi me.* Hilaria celebrare *h. e. Bacchanaliâ p.* 51. *item:* Hilaria amat Vedelius veſter, inter otia & pocula gaudium ſibi quærit p. 164. Mœrorem ſimul ac pudorem fronti tuæ detergis, choreas credo ducturus inter ejulantium & gementium infantulorum ſtrepitus *p.* 51. Inter pocula credo hæc ſcripſiſſe Vedelium, alienâ penè mente *p.* 64. Credo eum flore meracioris vini aſperſum hæc ſcripſiſſe *p.* 93. Si quæ Vedelius Elephantinâ promuſcide odoratur *p.* 141. ait ineptiſſimus Vedelius *p.* 154. Væcors eum Spiritus agat neceſſe eſt *p.* 182. Pædagogus *p.* 187. Theologaſter hîc vanus *p.* 207. Neceſſe eſt ut benè potus fuerit, cùm hoc in chartam conjiceret *ibid.* Neſcio an Anticyram ratio tibi deſtinet omnem *p.* 208. *Hæc, ut alia ſexcenta hujus generis taceam quibus eorum Scriptum ſcatet, in æternum non liberabunt eos infamiâ extremæ, improbiſſimæ, & turpiſſimæ maledicentiæ ſibi conſuetæ; quâ eos adverſum me uſos eſſe nemo mirabitur, qui conſiderat petulantiam & maledicentiam, quâ in Vindiciis præſertim ſuis utuntur contra Illuſtriſsimos Ordines, contra Reges, Principes, Magiſtratus omnes qui Antitrinitarios tolerare nolunt, denique contra omnes promiſcuè Reformatos.*

3. *Tertiò: Quandoquidem his omnibus agendi modis hi Theologi utuntur, judicet jam unuſquiſque annon hi homines in ſuâ conſcientiâ convicti ſint malæ ſuæ cauſæ, & tamen eam defendant contra conſcientiam ſuam? Item, ſintne hi homines digni Theologorum aut Chriſtianorum nomine? an verò contrà ſint improbiſsimi, impiiſsimi, inhoneſtiſsimi rabulæ? Iudicet unuſquiſque etiam, anne ullam micam candoris & honeſtatis in ſe habeant? anne agant cauſam con-*

ſcientiæ? an verò longè aliud quid quærant & factio Politica ſint ſub Religionis prætextu? item, anne in poſterum ullam fidem in ullo negotio nedum in Religionis causâ mereantur? Iudicet etiam Lector, quo Spiritu hi homines toti regantur? nec non denique quàm mala & deplorata eorum cauſa; contrà verò quàm bona, pia, juſta & ſancta noſtra cauſa ſit? Adeò ut ſi nihil aliud eſſet, certè hæc diſputandi & agendi ratio quam in Vindiciis ſuis ſequuti ſunt, unumquemque honeſtum virum quem hactenus hi homines deceperunt, movere debeat eos deteſtandi & cum execratione relinquendi.

4. *Quartò patet, quâ re nitantur & freti ſint Arminiani miniſtri, præcipuè autem M. Epiſcopius, ubi exiſtimabunt ſibi neceſsitatem incumbere replicandi aliquid Reſponſo meo quod Parte Secundâ, tertiâ, Quartâ Arcanorum exhibeo. Quia enim peſsimam ac deploratam cauſam habent, & nihilominus tamen eam tueri contra conſcientiam volent; hinc ſe facilè effugere poſſe confidunt per eadem artificia, fraudes, impoſturas &c. quibus in Vindiciis ſuis uſi ſunt. His denuò uti conſtituerunt; atq; hoc modo effecturos ſe credunt, ut iram & indignationem Illuſtriſsimorum Ordinum, Celſiſsimi Principis Auraſionenſis, aliorùmque Magiſtratuum, deteſtationem denique ac abominationem omnium eorum hominum qui Deum in tribus perſonis adorant, non experiantur. Adeòque revera ſunt ex eorum genere de quibus Eſaias Loquitur c. 28. 15. qui dicunt:* Flagellum inundantis cùm tranſibit, non obveniet nobis, quia poſuimus fraudem refugium noſtrum, & in mendacio abſcondimus nos. *Ejuſmodi reſponſum igitur, pie Lector, ab ipſis expectandum habes, & non aliud. Atque hæc de Arcano illorum novo generali quod hinc inde per totum Librum eorum ſe diffundit, προλεγομένων loco dicta ſunto. Nunc ad Arcana ſpecialia accedo.*

ARCA-

ARCANORVM ARMINIANISMI

Pars Tertia.

LIBER PRIMVS.

CAPUT PRIMUM.

Arcana nova Arminianorum de verbo Dei, Hæreticis, Enthuſiaſtis, Libertinis &c. quæ capite primo vindiciarum lib. primo proferunt.

1. HÆRETICOS *pari jure ſe poſſe Eccleſiam Chriſtianam & quidem totam appellare quo Eccleſia Orthodoxa.* 2. *Eum qui Atheiſmi, erroris, hæreſeos accuſatur ab alio poſſe eum pari jure Hæreſeos viciſſim poſtulare.* 3. *Quando dicitur Eccleſiam veram, Orthodoxam puram, aut Synodum Orthodoxam hoc vel illud docere ex verbo Dei; dicunt Arminiani, Epithetha Orthodoxæ, veræ, puræ eſſe tantum ſtulta amuleta & veluti armillas maleficarum; & τὸ Ex verbo Dei eſſe ſaltem cataplaſma, & laciniam Reformatoriam &c.* 4. *Alia dogmata huius generis quibus Arminiani omnem Religionem ludibrio exponunt.* 5. *Arminiani fatentur ſe in ſectam ſuam ſuſcipere Libertinos, h.e. qui in Controverſis dogmatis inter Chriſtianos nulli omninò parti ſunt addicti, nec eſſe volunt.* 6. *Docent etiam Libertinos tales, eſſe homines probiſſimos, imò piiſſimos.*

1. Redidit hactenus Eccleſia, Hæreticos non pari jure ſe poſſe Eccleſiam Chriſtianam nominare, quo Eccleſia Orthodoxa ita nominatur. Item, eum, qui Atheiſmi, erroris, Hæreſeos ab aliquo accuſatur v. g. Antitrinitarium, non poſſe protinus eodem jure alterum accuſare Hæreſeos &c. At Arminiani jam contrarium docent. Dixeram ego Eccleſiam totam Chriſtianam quæ deum in tribus perſonis adorat Vocem *Hæreſeos* in Significatione à me Arcan. lib. 1. cap. 1. allatâ accipere. Reſpondent illi vindic. lib. 1. cap. 1. p. 10. *Hæc reſtringendi ratio* IVSTAM CAVSAM PRÆBET *Hæreticis omnibus abutendi totius Eccleſiæ Chriſtianæ auctoritate ad ſtatuminandum Hæreſes & placita omnia ſua ſimili reſtrictione imò contrariâ. Definitiones omnes ſuas totius Eccleſiæ Chriſtianæ definitiones vocabunt* &c. *& qui iſtis refragantur aut eas negant, Hæreticos* PARI IVRE ET PRIVILEGIO *appellabunt: Ex. g. Ariani eos qui in S.S. Trinitate tres eſſe Perſonas, Chriſtum eſſe Deum ab æterno aſſerunt, Hæreticos vocabunt hoc titulo, quòd Eccleſia Chriſtiana tota quæ Deum in tribus perſonis non adorat, tales habet pro Hæreticis. Injuriâ, inquies: Fateor: ſed* NON *idcircò quòd* IIS NON EODEM IVRE LICEAT *definitionem ſuam contrariâ aut ſimili reſtrictione coarctatam totius Eccleſiæ Chriſtianæ definitionem vocare, quo Vedelius id ſibi credit licere.*

2. Similiter contendunt, Eũ, qui accuſatur ab aliquo Atheiſmi, aut quòd Neceſſariâ ad ſalutem dogmata ſuſq; deq; habeat ita ut illi perinde ſit ſive teneat ſeu credat ea ſive non; poſſe alterum eodem jure accuſare ejuſdem criminis. Dixeram ego Atheum appellari merito eum qui non curat dogmata Controverſa ad ſalutem neceſſaria &c. Reſpondent illi ibid. p. 14. *At neceſſaria eſt pars iſta, etſi controverſa, inquit Vedelius. At, inquam, hoc ipſum eſt quod quæritur, & quod ille pari jure negare poteſt Neceſſarium ſibi videri, quo Vedelius affirmat illud neceſſarium eſſe aut neceſſarium ſibi videri* &c. *Deniq; quid ſi quis regerat Vedelio, Atheiſ-*

theiſmum eſſe ſecundi generis ſaltem in collaterali lineâ aut gradu, prout libet, ſi quis controverſa dogmata auctoritate ſuâ ita decîdat in alteram partem, ut eos qui deciſioni iſti non parent imò reclament, cœlo proſcriptos velit & æternum damnatos? An non majori ac meliori jure, Atheum eſſe dicet talem, quia Dei loco ſe collocat & divinam auctoritatem uſurpat ſibique arrogat? &c. *Enimverò ſi hac ratione per definitiones arbitrarias ire licet prout libet; licebit tandem etiam meritiſſimo jure Vedelium cum ſuis poſtulare Atheiſmi* &c. Ubi quod dicunt nos decîdere aut definire propriâ auctoritate, mera calumnia eſt, quam in æternum non probabunt. Simili modo cap. 3. p. 13. quando quis alterum accuſat, quòd falſò interpretetur verbum Dei & id detorqueat in alienum ſenſum; dicunt eum poſſe viciſſim alteri id regerere, & ei ita os occludere. Dixeram ego: *Itane Scripturam maximè reveretur, qui ejus ſenſum verum non reveretur, ſed eam in falſum ſenſum detorquet.* Regerunt illi: *Non equidem, Vedelie, ſed qui ſenſum Scripturæ idcircò verum eſſe credit eumque reveretur, quia Scripturam à te tuiſque detorqueri in falſum ſenſum credit; à ſe verò concipi prout debet concipi.* Et poſtea formant objectionem ſeu præoccupationem: *At malè concipit, inquies.* Et reſpondent: *Quo judice? an quia tu ineptiſſimus homo ita cenſes? Quâ auctoritate? Quid ſi tibi ille regerat viciſſim? Senſum quem tu Scripturæ verum ac genuinum ſenſum eſſe dicis, peſſimum ac planè detortum ſenſum eſſe, & libertatem iſtam ejuſmodi pravos ſenſus tibi tuiſque permitti non debere; quid dices, mi nugator? Diſce, mi Doctor, accuratius diſputare.* Clarius etiam lib. 2. c. 8. p. 148. Dixeram Hæreticis non licere excommunicare Orthodoxos. Reſpondent illi: *Te Hæreticum & infidelem excommunicare iis licet pari tecum licentiâ* &c. *At illi Hæretici ſunt, inquies. Quo, inquam, iterum judice, cui tenentur acquieſcere?* Et c. 2. p. 104. *Nec vobis, nec iſtis adimo poteſtatem judicandi de Hæreticis. Cenſete, judicate Hæreticos quos vultis.* Et paulò poſt: *Oſtendite vos puros eſſe ab erroribus eorum, per Seceſſionem & ſegregationem veſtri ab iis & eorum cœtibus. Sed idem illis*

 liceat,

liceat, ſi vos Hæreticos cenſeant. Cur enim illis minus licet quàm vobis. Iudicium veſtrum Lex vobis eſt, non illis; uti eorum judicium Lex ipſis eſt non vobis: Par in parem non habet imperium. Similiter ratiocinantur in toto ſuo maledicentiſſimo ac petulantiſſimo ſcripto. Ubi Lector videt, eos ut faciliùs imponere ipſi & Sophiſticari rectiùs poſſint, uti individuâ perſonâ *Vedelii*, de quâ tamen quæſtio non eſt. Sed quæſtio eſt de Orthodoxo, quicunque illi tandem ſit, aut cuicunq; tandem cœtui aut ſectæ Orthodoxiam tribuere velis: nam de eo nunc non eſt diſputandi locus. Et ſic concidit omnis illa inanis Sophiſticatio conſiſtens in Coccyſmo eorum de *Vedelio*, aut *Vedelio cum ſuis*.

Ejuſdem generis eſt; quòd dicunt, quemadmodum infrà c.7. videbimus, ſi Sociniani impietatis accuſentur ab eo qui veram ſententiam contra ipſos Socinianos tuetur; eum mereri ut ejus pietas pari ſuſpicione gravetur. Item, unumquemque ſibi fidem veram pari jure arrogare poſſe, ut patebit ex lib. 2. c. 10. Item quod dicunt ut ſuo loco videbimus; ideò in controverſijs h. e. quando quæſtio eſt de ſenſu verbi divini, ad verbum Dei non eſſe confugiendum, quia verbum Dei ſit controverſum.

3. Accedit his, quòd quando dicitur Eccleſiam Orthodoxam, veram aut puram non quovis modo ſed ex verbo Dei decîdere aut decîdiſſe controverſias has vel illas: dicunt illi: *Ejuſmodi Epitheta (* veræ, Orthodoxæ puræ*) Stulta amuleta ſunt quæ controverſiæ collo appenduntur, ut armillæ maleficarum* vindic. lib. 2. c. 6. p. 124. Eodem modo de Synodis loquuntur, quando dicitur decîſionibus ex verbo Dei rectè ab eâ factis ſtandum eſſe, ibid. p. 130. *Credit*, inquiunt, *Vedelius, ſe tutò ita loqui poſſe, ſi modò addat Synodi vocabulo Epitheta* Orthodoxæ, veræ puræ, & *Similia vocum malagmata, ac tandem ne parum Reformatus videatur* Ex verbo Dei. *Hoc amuleto omnium argumentorum ſuorum Pontificiorum morbos curare ſe credit.* Atqui ut hoc obiter dicam ego nullibi ab auctoritate humanâ argumentatus fui; ſed tantùm expoſui quid ex utraque parte crederetur, hoc eſt quid

ab Ec-

ab Eccleſiâ quæ Deum in tribus perſonis adorat, quid contra à ſimulatoribus iſtis Antitrinitarijs credatur: quorum certè utrumque mihi licitum eſt. Ibidem; dicunt τὸ *Ex verbo Dei* eſſe tantùm Cataplaſma. *Addit quidem,* inquiunt, *Subinde ex verbo Dei & Simılia Cataplaſmata verborum.* Et quia dixeram, Synodum habere poteſtatem decidendi controverſias eo modo quo inde ab initio in hunc uſque diem illæ in Synodis legitimis *ex verbo Dei* decîſæ fuerunt; reſpondent illi p. 131. *has voces* Ex verbo Dei *eſſe additamentum ſive laciniam Reformatoriam.* Et lib. 1. cap. 3. p. 23. dicunt me ſemper recurrere ad verbum Dei tanquam anus ad armillam. *Atque hoc eſt,* inquiunt, *ad quod Remonſtrantium reſponſio potiſſimum reſpexit. Verùm uti anus ad armillam, ita ille ſemper recurrit ad verbum Dei, tanquam ſi cum de verbi divini ſenſu quæritur, &c.*

4. Hinc contendunt, quando non unicuique, qui dogma verum controverſum ex verbo Dei propoſitum non acceptat eo prætextu quòd velit ſtare inter formulas & locutiones Scripturæ permittitur libertas ſua; *verbum Dei non eſſe niſi merum prætextum,* ut videbimus lib. 2. c. 6. §. 5. item, Quòd Neceſſaria controverſa (qualia dari negabant in Apologia ſua) nunc in vindicijs talia Arminianis ſunt, quæ videntur alicui eſſe Neceſſaria. item ſufficere ad hoc ut quis aliquem pro Hæretico habeat, ſi credat & perſuaſus ſit, dogma aliquod de quo quæſtio eſt non exſtare in Scripturâ nec ῥητῶς nec per evidentem conſequentiam ut videbimus eodem libro c. 1. §. 10. item quòd docent Hæreſin ſimplicem eſſe fictionem potiùs Theologicam quàm rem ut patebit ex eodem lib. c. 4. §. 15. item quòd qûando aliquis hominem fanaticum, aut qui factioni aliiſve nefarijs moliminibus prætendit Religionem, & ex eâ ludos ſibi facit, Nebulonem vocat (quo certè nomine talem hominem dignum eſſe nemo pius negârit) dicunt illud non eſſe niſi fictum nomen, quòd minus facile retorqueri poſſit in dicentem, quàm ab eo torquetur in alium. Dixeram ego per doctrinam Arminiano-

rum, quâ eripiunt Magiſtratui poteſtatem in conventicula Hæreticorum, ſubjici Magiſtratum lubidini & arbitrio uniuſcujuſque nebulonis, Hæretici, fanatici &c. in quo cenſu ego Arminianos ne verbulo quidem comprehenderam, ut unuſquiſque locum inſpiciens Arcan. lib. 2. c. 9. deprehendet. Illi incredibili cum petulantiâ reſpondent lib. 2. vind. c. 9. p. 166. & reprehendunt me eo nomine dicentes: *Nomina iſta, Nebulones, Hæretici, fanatici ſunt horrenda & quæ ubique vibrat Vedelius in omnes à ſe diſſentientes.* Quod falſiſſimè dicunt Arminiani more ſuo conſueto, utpote qui conſcientiæ, veritati & pietati nuncium omninò miſêre: ut patet ex omnibus quæ antehac de iis diximus & in futurum præſertim parte quartâ Arcanorum veriſſimè coram Deo & Sanctis Angelis ejus atque totâ Eccleſiâ Chriſtianâ oſtendetur. Me quod attinet ego neminem cujuſcunque ſectæ aut cœtus hominem nebulonem ullibi vocavi; tantum abeſt ut ubique & omnes à me diſſentientes ſic vocârim. Sed illis ita calumniari me placet ut eo prætextu in me & omnes Reformatos petulanter debacchari poſſint. prout hîc faciunt. Etenim pergunt: *Videat annon eâdem itaque nomenclaturâ dignos ſic faciat, omnes iſtos fratres ac jam pleroſque Symmyſtas ſuos, qui ante Synodi Nationalis indictionem ſegreges cœtus contra legitimorum ſuorum Magiſtratuum edicta contra omne jus ac fas inſtitutos hoc ſolo nomine licitos ac neceſſarios eſſe clamabant &c. Et vos, Patriæ proceres, ſi Vedelio cum ſuis publicum Religionis ſuæ ac privatum exercitium interdictum iretis (quod ut fiat, nunquam Deus ſirit) annon repente inter iſtos etiam nebulônes conſpiceretur, & forte Dux gregis? Nebulonem ſcio ſe negaret, neque ego affirmo;* (h. e. non totidem literis & ſyllabis dico; hæc enim Arminianorum ſæpiſſimè mens eſt, quando dicunt ſe aliquid non affirmare, non aſſerere; etiamſi & animo ſuo id credant & alijs verbis id dicant, & denique contrarium nullibi doceant dicantve ut mox infra ſuo loco patebit) *Sed hoc tantum vocabulo utor, ut Vedelius diſcat, id non niſi fictum ac Theologo indignum*

voca-

vocabulum eſſe, quòd non minus facilè in ipſum retorqueri poteſt, quàm ab ipſo petulanter ferè torquetur in quoſvis alios. Sic igitur ſecundùm hos homines, pius ille & illuſtris vir Beroënſis ſub Iuliano Apoſtata nebulonis nomen merebatur viciſſim, quia ob negocium Religionis h. e. Apoſtaſiam à Religione Chriſtianâ filium ſuum *ἀλάστορα nebulonem* vocavit in menſâ Iuliani imperatoris ut apud Theodoritum videre eſt. *Theod lib. 3. c. 18.* Sic Euſebius ſecundum hos homines nebulonis nomen viciſſim meretur, quia ſimulatores in negocio Religionis quos Conſtantinus M. in aulâ ſuâ habebat nebulones *μοχθηροὺς* vocat. *Euſeb. lib. 4. de vita Conſt. M.* Igitur apparet quæ de Calvino, Beza & aliis Eccleſiæ Luminibus qui libros *contra Nebulonem, &c.* quoſdam ſuos inſcripſêre, hi homines judicent. Cæterum quòd ibi dicunt, *Quod Deus nunquam ſirit;* mera hypocriſis eſt. Nam eos reverâ moliri oppreſſionem & ruinam Reformatorum, luce clarius meridianâ patet ex Parte Secundâ Arcan. lib. primo. His omnibus addatur, quòd dicunt in Apologiâ ut ante hac à nobis oſtenſum, *Hæreticos lupoſve graves non eſſe niſi odioſa nomina.* item *Sciri non poſſe hodiè quis ſit Hæreticus* prout ea vox communiter ſpeciatim à Reformatis ſumitur.

Jam unicuique dijudicandum relinquo, annon hi homines & ſimulatores Sociniani hac agendi ratione ludibrio exponant totam Religionem Chriſtianam; animis hominum excutiant, quantum in ipſis eſt, amorem ac ſtudium omne veritatis divinæ quæ ab Hæreticis oppugnatur; & contra profanitate imbuant mentes alioqui naturâ nimis quàm ad impietatem proclives; denique annon doceant homines eludere omnia conſilia ſana, monita, juſſa, exhortationes, reprehenſiones, quæ aut in Politiâ à Magiſtratibus, in aulâ aut curiâ à Conſiliarijs, in Eccleſiâ à docentibus, in Oeconomiâ à Parentibus circa res Religionis proficiſci poſſunt. Exemplum ſumam obvium & cuivis intelligibile. Princeps aut privatus aliquis moriens Teſtamento jubet ut filius hæres matrimonio ſibi jungat partem non infidelem aut Hæreticam, ſed fidelem & Eccleſiæ Orthodoxæ ſeu veræ ad-

ræ addictam. Fideles conſiliarij & amici idem ſuadent ſucceſſori filio poſt mortem Patris. Sed ecce jam hominem Spiritu Arminiano & Libertino imbutum; qui à paternâ voluntate Filium abducturus; Parens tuus, inquiet, juſſit ut ne duceres Hæreticam. Benè habet. Videndum eſt igitur etiam atque etiam quis ſit Hæreticus. Tu habes hos tales verbi gratiâ Socinianos pro Hæreticis; ſed illi viciſſim te habent pro Hæretico. Dicis te Orthodoxum eſſe; illi negant, & te putant Hæreticum eſſe. Inquies; eos injuriâ ita æſtimare; te autem jure ita cenſere. At quo judice; Non profectò te judice, qui judicium infallibile non habes. An judice verbo Dei? At illud controverſum eſt. Quòd ſi filius replicet Spiritui Arminiano; iſtas controverſias ob quas talis cœtus pro Hæretico habeatur decîſas dudum eſſe ab Eccleſiâ Orthodoxâ ſeu verâ ex verbo Dei: reſpondet Spiritus Arminianus; has voces Eccleſiæ *Orthodoxæ, veræ, puræ*, eſſe ſtulta amuleta quæ controverſiæ collo appenduntur ut armillæ maleficarum ſeu veneficarum. Si alter dicat; non ita petulanter, profanè & improbè de re tanti momenti loquendum eſſe; nam iſtas controverſias decîſas ab Eccleſiâ Orthodoxâ eſſe non quovis modo; ſed ex ipſo verbo Dei: ibi tum regerit Spiritus Arminianus, *τὸ ex verbo Dei* eſſe nihil aliud quàm amuletum, quàm cataplaſma, quàm laciniam Reformatoriam. Si alter inſtet, non ita loquendum eſſe de controverſijs rectè ex verbo Dei decîſis; replicat ille; tu ſemper recurris ad verbum Dei uti anus ad armillam. Eadem ratio eſt, ſi parens exhortetur filium ut utatur amicis, conſiliarijs Orthodoxis; ut perſiſtat conſtanter in verâ Religione; & caveat ſibi à contagio Hæreſeos &c. Hic fructus eſt egregiæ hujus Theologiæ Arminianæ, quæ hoc agit ut omnem affectum omne ſtudium Religionis ex hominum animis excutiat, non niſi ſolo nomine & inani umbrâ relictâ. Nec prætexere poſſunt Arminiani, ſe hoc facere ut nobis eripiant Pontificium iſtum modum agendi, quo Eccleſiæ jus definiendi tribuimus ex plenitudine poteſtatis,

ſtatis, ut ipſi quidem dicunt hîc cap. 1. p. 10. Nam præter quàm quòd hæc mera calumnia eſt quâ nobis id impingunt quod in mentem nunquam nobis venit, nec unquam à nobis fit; etiam nequaquam decet tali ratione Pontificium iſtum modum agendi oppugnare, quæ nullo fundamento nixa eſt & omnem Religionem in dubio atque ancipiti conſtituit. Et profectò, ſi Euangelici eo modo contra Pontificios agerent; actum eſſet de cauſâ ipſorum, & triumphos duceret Eccleſia Romanenſis. Falſiſſimum etiam eſt, Hæreticos poſſe ſe pari jure Eccleſiam Chriſtianam vocare, quo Orthodoxa Eccleſia ſic vocatur. Nam multum intereſt inter jus Eccleſiæ, & licentiam Hæreticorum, qui non poſſunt Eccleſia Chriſtiana dici niſi ὁμωνύμως & abuſivè, quemadmodum homo pictus *homo* dicitur. Unde Hæretici extra Eccleſiam eſſe dicuntur ab Ireneo, οἱ ἔξω τῆς ἐκκλησίας αἱρετικοὶ, *hæretici qui extra Eccleſiam ſunt* apud Euſebium lib. 5. hiſt. Ecl. c. 19. Falſiſſimum quoque eſt, Epithetum hoc quo Eccleſia aut Synodus dicitur *Orthodoxa, vera, pura*, eſſe ſtulta amuleta & tanquam armillas maleficarum; item quando dicitur Eccleſiam ex verbo Dei decîdere id eſſe tantum laciniam Reformatoriam; & eum qui ad verbum Dei ſubinde recurrit, recurrere ad id veluti anus ad armillam ſubinde recurrit. Etenim eſt quædam Eccleſia, quædam Synodus, quædam decîſio cui reverâ competunt Epitheta & attributa iſta; quæ per conſequens ſtulta amuleta & armillæ veneficarum non ſunt. Quod quia veriſſimum eſt, adeò ut ipſi negare id non poſſint; hinc patet Sophiſticum, illuſorium, ac protervum eſſe iſtũ modum diſputandi, quo ubique ferè in vindiciis ſuis utuntur, dum loco Eccleſiæ veræ & Orthodoxæ (quæcunque tandem illa ſit, nam de eo non jã quæſtio eſt) ſibi deligunt, ut paulò ante diximus, *Vedelium*, aut *Vedelium cum ſuis*, ut loqui ſolent, de quo tamen etiam quæſtio non eſt; id quod faciunt quò impietatem ſuam ſpecie aliquâ incruſtare ac fucum facere incauto atque imperito Lectori poſſint; idem facturi ſi Lutheranus aliquis Theologus ea im-

pia dogmata ipſis objeciſſet, quæ à me in parte primâ Arcanorum ipſis objecta fuêre. Abſque quo miſero & ineptiſſimo Sophiſmate fuiſſet, nihil habuiſſent, quod reſpondere potuiſſent, & vindiciæ ipſorum valdè in anguſtum, hoc eſt, pauca folia redactæ fuiſſent.

5. Porrò capite eodem primo libri primi Vindic. haud obſcurè fatentur ſe in ſectâ ſuâ tolerare Libertinos, ſeu eos qui nec Reformatæ, nec Lutheranæ, nec Pontificiæ Religioni aut ulli alii ſectæ Chriſtiani nominis ſive ulli parti in controverſis dogmatis addicti ſunt; ita enim p. 16. quia ego dixeram Eccleſiam Chriſtianam habere tales pro Atheis, & cauſam rei attuleram quæ certiſſima ac veriſſima eſt: Reſpondent illi inter alias nugas: *Sed hæc æquitas inviſa eſt Chriſtiano Vedelio cui Atheus eſt novo & inaudito cognomento quicunque de controverſis in Chriſtianâ Religione dogmatis non ſtatuit quicquam in alteram partem, & ſectæ alicui nomen non dat, atque ita in partes non abit. &c. At ſi modo Libertinus ſis, id eſt, ſi non accedas aut dedas te in aliquam Sectam quæ controverſias decidit licet peſſimè, in ſecundo gradu Vedelij es Atheus, etiamſi cætera probiſſimus ſis & conſcientiæ tuæ intereſſe juces, quod à ſectis abſtineas, paratus interim ſequi eos qui à damnationibus aliorum ſe continent.* Ubi Arminiani per *eos qui à damnationibus aliorum ſe continent*, intelligunt ſe ipſos; utpote qui primò neminem damnant ob ulla dogmata controverſa inter Chriſtianos prout infrà patebit, modò toleret diſſentientes & credat Hæreticos ſpeciatim Antitrinitarios nullo modo coërcendos eſſe: deinde docent in his vindiciis ſuis, ſufficere ut quis credat Scripturæ prout jacet, etſi non acceptet dogmata vera controverſa, ac tolerandos eſſe tales in Eccleſiâ, & ſummè damnant eos qui aliter ſentiunt, ut manifeſtum fiet libro ſecundo capite ſexto.

6. Inſuper habent Libertinos ſeu Atheos tales pro hominibus probiſſimis: ut patet ex ultimis verbis modò ex pag. 16. à me allegatis; *etiamſi* inquiunt, *cætera probiſſimus ſit &c.* Imo habent

bent eos pro hominibus piiſſimis. ita enim p. 14. eos quos ego Libertinos & Atheos dixeram ſequutus receptum in Eccleſiâ modum loquendi, illi deſcribunt ut dicant talem hominem *Religionem Chriſtianam pro verâ Religione amplecti & ad eam ſalutis æternæ conſequendæ cauſâ, fidem ac vitam ſuam totam componere.* Id quod allegâſſe, ut & reliqua ipſorum Arcana dogmata ferè omnia, eſt refutâſſe.

CAP. II.

Arcana nova Arminianorum de auctoritate verbi divini, ex capite ſecundo vindiciatum.

1. *Hæreticos qui ſic communiter vocantur ſpeciatim Antitrinitarios ſive Socinianos non obligari ad deponendum errorem ſuum ſeu conſcientiam ſuam erroneam; adeòque non peccare hæreſibus ſuis. Nec per conſequens opus habere remiſſione quantum ad illas attinet. Culpabilis ſeu vincibilis item invincibilis ignorantia vel error quis ſit Arminianis?*

1. CRedidit hactenus ex verbo Dei tota Eccleſia, quæ Deum in tribus perſonis adorat, Antitrinitariorum ſpeciatim Socinianorum dogmata quibus ſtatuunt *Chriſtum non eſſe Deum ab æterno*, imò *Chriſtum nunquam habuiſſe nec etiamnum habere naturam divinam ſed tantùm humanam: Eum non extitiſſe antequam naſceretur ex Mariâ virgine, &c.* Eſſe horendas hæreſes, & blaſphemias Turcicas ac Judaicas; adeoque graviſſimè peccare Hęreticos tales, & teneri deponere blaſphemias atque errores ſuos, ſeu erroneam conſcientiam ſuam. At Arminiani ſentiunt ac docent Hęreticos qui communinitet ſic vocantur ab Orthodoxis, ſpeciatim Socinianos ſeu Samoſatenianos, non teneri deponere conſcientiam ſuam erroneam. Ita enim

capite ſecundo libri primi vindiciarum p. 18. *Aliud eſt obligari aderroneam conſcientiam deponendum, cùm videlicet error culpabilis & vincibilis eſt: aliud obligari ad ſequendum dictamen erroneæ conſcientiæ, videlicet ſtante & manente erronea conſcientiâ & quidem invincibili, ut loquuntur. Hoc negant Remonſtrantes, non illud.* Vides, eos ſtatuere hominem non obligari ſemper ad conſcientiam ſuam erroneam deponendam, ſed tunc ſaltem cùm error culpabilis & vincibilis eſt. Culpabilem ſeu vincibilem errorem quem vocent, patet ex lib. 2. cap. 9. p. 178. ubi ſynonyma ipſis ſunt, culpabilis ſeu vincibilis & affectatus error: *Ignorantiam Iudæorum non fuiſſe ignorantiam invincibilem, ſed vincibilem, ut loquuntur, ſive affectatam, Chriſtus ipſe indicat.* Ibi etiam errorem culpabilem ſeu vincibilem vocant cum quando quis rationes & cauſas ſatis graves habet, quæ ipſi perſuadere poſſent contrariam veritatem: *iſta eorum* (Iudæorum) inquiunt ibidem, *ignorantia invincibilis non eſt. Rationes enim & cauſas ſatis graves habent, quæ iis perſuadere poſſunt Ieſum eſſe promiſſum illum Chriſtum. Hinc culpabilis eſt eorum blaſphemia.* Adeòque è contrario invincibilis error aut ignorantia ipſis eſt, quando quis cauſas ſatis graves non habet, aut ſaltem non habere ſibi perſuadet, ut ſententiam mutet, imò cauſas non leves habet erroris ſui, prout ipſi loquuntur, quemadmodum jam jam videbimus. Hanc invincibilem ignorantiam tribuunt Hæreticis communiter ſic dictis, imò etiam blaſphemis Hæreticis qui ita ab Orthodoxis vocantur. Sic enim pag. 179. ejuſdem capitis probant Hæreticos blaſphemos non coercendos eſſe punitione corporali; quia eorum error invincibilis ſeu inculpabilis & involuntarius ſit: *Et hinc patet,* inquiunt, *cauſa cur Hæreticos ejuſmodi* (blaſphemos) *pœnâ corporali puniendos non eſſe contendunt Remonſtrantes, etiamſi fiat ut in ſententiâ ſuâ pertinaciter hæreant, non quia in eâ pertinaciter perſeverare volunt quanquam certi ac perſuaſi eam Hæreticam eſſe, ſed quia ſe cauſas non ſatis graves habere ſibi perſuadent, ut ſententiam mutent.* Et hunc invinci-

vinci-

vincibilem errorem dicunt ſine culpâ eſſe, & remiſſione peccatorum opus non habere. Ita enim ibidem p. 178. ex eo quod Chriſtus oravit in cruce Patrem ut ignoſceret Iudæis probant errorem eorum culpabilem ſive affectatum fuiſſe: *Ignorantiam enim,* inquiunt, *eorum non fuiſſe ignorantiam invincibilem ſed vincibilem, ut loquuntur, ſive affectatam, Chriſtus ipſe indicat, cùm Patrem ſuum orat ut illis remittere velit factum iſtud. Remiſſione enim nullâ opus erat, ſi nulla in facto ipſo culpa erat. At culpa in eo eſſe non potuiſſet, ſi ex ignorantiâ planè involuntariâ atque invincibili profectum fuiſſet.* Vides, pie Lector, eos ſtatuere errorem invincibilem non eſſe culpam, adeòque non opus habere remiſſione peccatorum. Quod quidem planè convenit cum doctrinâ Apologiæ, in quâ docent Hæreſin de quâ quæſtio eſt (ut ipſi loquuntur) ſeu quam Orthodoxi ſpeciatim Cll. Theol. Proff. Leydenſes ſic vocant, non eſſe peccatum, ſed innocentem eſſe & culpæ expertem; Hæreticos nullâ ſuâ culpâ alios ſeducere; Hæreſin de quâ quæritur non eſſe opus carnis &c. Quò pertinet quòd Vindic. lib. 2. c. 7. p. 142. dicunt Miniſtros tùm demum peccare in docendo quando error ipſorum *per proprium ipſorum culpam vitioſus eſt.* item p. 143. quando *judicium eorum culpabiliter erroneum eſt.* Ex quibus jam patet quomodo intelligenda ſit deſcriptio invincibilis ignorantiæ, quam in hoc capite ſecundo proponunt p. 17. ubi dicunt: *quando conſcientia eſt erronea ex invincibili ignorantiâ, id eſt, ex ignorantiâ tali quæ vel in homine neceſſariò eſt, vel poſt adhibitam omnem poſſibilem diligentiam & prudentiam in eo ſupereſt.* Sic enim ignorantiam ſeu errorem invincibilem ſecundùm eos patet eſſe eum quando quis non ſatis graves cauſas habere ſibi perſuadet, ut ſententiam mutet; ſed contrà ſatis graves aut non leves cauſas erroris ſui habet. Iam autem invincibilem errorem quemadmodum tribuunt Hæreticis communiter ſic dictis ab Orthodoxis; ita ſpeciatim eum tribuunt Antitrinitariis ſive Socinianis. Ita enim in Reſponſione ad Excerpta Cll. Proff.

Leydenſium p. 41. inter alias cauſas cur Socinianis anathema dicere nolint, & pronunciare dogmata Orthodoxa de Trinitate eſſe neceſſaria ad ſalutem, adeòque Socinianorum dogmatibus culpam hæreſeos attribuere non audeant, etiam hanc ponunt; quia cauſas errandi non leves habere videantur: *Secundò*, inquiunt, *quòd cauſas errandi non leves habere videantur, propter quas error eorum à pertinaciâ ac proinde ab Hæreſeos culpâ quæ ſine pertinaciâ nulla eſt à Doctoribus ipſis liber atque immunis cenſeri debet.* Et dicunt inter varias cauſas octo eſſe quas ibidem p.41. 42. 43. 44. 45. 46. exponunt; ac concludunt p. 46. *Atque hæ*, inquiunt, *inter alias ſunt rationes, quæ errantibus iſtis obſtant, quò minus receptæ de Trinitate ſententiæ ſubſcribere ſe poſſe affirment; quæ etſi prorſus apodicticæ non ſint, tales tamen Remonſtrantibus videntur, ut non levem cauſam præbere errantibus poſsint, cur in errore ſuo ſine pertinaciæ culpâ permanere credi debeant.* Hinc quoque Antitrinitarios inter innocentes homines referunt, non ſolum in Apologiâ, ſed etiam in Vindiciis lib. 1. c. 7. p.38. ubi dicunt ſe ideò non poſſe dogmata Orthodoxa de Trinitate quæ Sociniani oppugnant pro neceſſariis habere ad ſalutem; quia *de Deo etiam vera dicere periculoſum dicebat olim Auguſtinus*; *quid ergò? annon magis periculoſum eſſe cenſetis, ſi per conſequentias controverſas de Deo aſſeratur quicquam cum myriadum* INNOCENTIUM damnationibus ac anathematiſmis? Sic igitur patet Arminianos docere: Antitrinitarios ſpeciatim Socinianos non obligari deponere conſcientiam ſuam erroneam, ac non opus habere remiſſione peccatorum propter errorem ſuum, quia in eo culpa non ſit, cùm ſit error invincibilis. Hoc Arcanum Theologiæ Arminianæ diligenter eſt obſervandum, & hoc eorum judicium (quod, quantum poſſunt, occultant & involvunt, hîc autem Lector in lucem maniſeſtiſſimam protractum videt) de Turcicis illis & Judaicis blaſphemiis Socinianorum.

O miſerum Belgium, quantæ te calamitates manent, niſi im-

pietas tanta ei quâ par eſt juſtitiâ, vigilantiâ, ac Zelo expietur! Hactenus toleratæ quidem in Republica hac fuerunt blaſphemiæ Iudæorum qui contendunt Chriſtum nunquam habuiſſe naturam divinam, nec etiamnum habere; & non extitiſſe antequam naſceretur ex Mariâ: & nunc feremus inſuper, ut ii qui Chriſtianam Religionem profitentur, & tantopere veritatis divinæ ac pietatis ſtudium crepant, negent eas execrandas Socinianorum blaſphemias peccata eſſe; id quod etiam cum Socinianis Iudæi & Turcæ negant. Quæſo quantum jam diſcrimen eſt, inter blaſphemias Turcicas, Judaicas, Socinianas; & inter hanc blaſphemiam Arminianorum? Turcæ, Iudæi, Sociniani negant Chriſtum eſſe æternum Deum, imò Chriſtum negant habere naturam divinam; dicunt eum tantum habere naturam humanam, nunquam fuiſſe antequam conciperetur ac naſceretur: Arminiani dicunt eos, qui hæc dicunt non peccare iis dogmatis. Diſtantne hæc multùm inter ſe? Certè ſi non peccant, igitur non faciunt injuriam Chriſto. Si ei non faciunt injuriam; tunc aut vera ſunt iſta dogmata Sociniana & Turcica (quæ ſine horrore nulla mens verè Chriſtiana audire poteſt) aut ſunt indifferentia, quæ perinde eſt ſive quis credat, ſive non credat. Cæterum quæ ſit intima & arcana ſententia eorum de iſtis blaſphemiis Socinianorum, oſtendimus parte ſecundâ Arcanorum lib. primo, & manifeſtum fecimus, eos dogmata iſta blaſphema, in animo ſuo pro veris habere, ac ſimulare tantum doctrinam Orthodoxam iis oppoſitam. Tu, optime Deus, miſerere harum Proviciarum, & libera eas ab his impiis hominibus. Et tu Ieſu Chriſte, qui cum Patre & Spiritu S. æternus Deus es, atque in plenitudine temporis naturam humanam aſſumſiſti, & nunc glorioſe dominaris in medio hoſtium tuorum, exſurge & vindica gloriam tuam. Confunde hos inimicos tuos, quibus datum eſt os magna & blaſphema loquens, ac non patere ut diutius tibi & Eccleſiæ tuæ illudere audeant. Dirige corda bonorum omnium, præſertim Illuſtriſſimorum Ordinum Gene-

Generalium ac Illuſtriſſimi Principis Arauſionenſis ut dignentur cauſam hanc tuam eo quo par eſt ſtudio cognoſcere & quâ decet juſtitiâ ac vigilantiâ aſſerere. Amen. Et vos piæ animæ, quotquot hæc legetis, execramini impios hos Theologos atque anathema iis cum cæteris Antitrinitariis dicite; quibus qui anathema non dicit, eum perpetuò & meritò judicavit tota Eccleſia Chriſtiana, quæ Deum in tribus perſonis adorat, participem ſeſe reddere impietatis & hæreſeos ipſorum.

CAP. III.

Arcana nova Arminianorum circa Libertatem Prophetandi, ex cap. 3. Vindic. lib. 1.

1. Enthuſiaſtas ipſos & fanaticos nullo corporali modo coërcendos eſſe, ſed tantùm argumentis & rationibus contra eos agendum eſſe. 2. Hæreticos, quos ſic vocat tota Eccleſia quæ Deum in tribus perſonis adorare ſe profitetur, ideò maximè revereri Scripturam ſacram, quia dignantur eam interpretari. 3. Nec non ideò quoq;, quia ſenſum adverſarij credunt eſſe falſum, ſuum autem verum. 4. Bonam conſcientiam eam eſſe quæ cauſas & rationes ſuæ opinionis habet, ac ſeriò credit id quod credit, etiamſi falſiſſimum ſit. Arminiani fatentur ſe interdum mente parùm compoſitâ ſcribere.

1. HActenus credidit tota Eccleſia quæ Deum in tribus perſonis adorat, Enthuſiaſtis & fanaticis non ſolùm non permittendam eſſe impietatem ipſorum; ſed etiam iis corporali modo reſiſtendum eſſe: item Hæreticos non revereri verè Scripturam ſacram nedum maximè: bonam denique conſcien-

ſcientiam eam eſſe quæ regulæ boni h e. verbo Dei reverâ conformis eſt. At Arminiani contra docent capite tertio Vindic. lib. primo: Enthuſiaſtis & fanaticis, præterquam quod ipſis permittenda ſit libertas prophetandi, etiam nullo modo corporali reſiſtendum eſſe. Ita enim p. 21. cùm ipſis objeciſſem, quòd docent Enthuſiaſtis & fanaticis quoque concedendam eſſe libertatem prophetandi, & Arminiani ad eam accuſationem aliquantulum ut ſolent tergiverſati eſſent hoc prætextu quod non totidem literis & ſyllabis id dixiſſent tandem mentem ſuam liberè aperiunt de hac re dicentes: *Sed eſto; detur etiam Vedelio, Remonſtrantes id adſeruiſſe; quid in eo criminis? Non enim aſſeruerunt prophetationes ejuſmodi fanaticas licitas eſſe aut probandas, ſed tantùm eos qui eas jactant, non eſſe vi opprimendos &c. Examinentur, refellantur argumentis & rationibus &c.* Itaque ſecundùm hos homines perperàm fecêre Orthodoxi in vetere Eccleſia, qui Enthuſiaſtas & fanaticos corporali modo coërcendos judicarunt. Unde ſub Valentiniano & Valente Enthuſiaſtarum monaſteria incenſa, & monachi Enthuſiaſtæ in exilium ejecti ex Syriâ & aliis locis fuêre, teſte Theodoreto. *Theodor. lib. 4. c. 10.*

2. Docent Arminiani, Hæreticos ideò maximè Scripturam ſacram revereri, quia abſque ea reverentia eſſet, eam non dignarentur interpretari. Ita enim eodem iſto capite tertio p. 23. ajunt *eos qui cùm probitati & bonæ conſcientiæ ſtudeant* (quales iſtis ſunt Hæretici, de quibus quæſtio eſt, ſpeciatim autem & præcipuè Antitrinitarii) *controverſa iſta dogmata interpretantur ex ſenſu ſuo quem judicant verbis divinis eſſe convenientiſſimum, non cenſendos eſſe id facere alio animo ac fine quàm qui maximam Scripturarum Deique reverentiam arguit: Abſque eâ enim eſſet, contemtim haberent omnia & de ſenſu eorum manum non verterent.* En, pie Lector, profanitatem horum hominum qui æſtimant reverentiam Scripturæ ſacræ eodem modo, quo æſtimatur reverentia libri alicujus profani, quem quis revereri meritò dicitur qui laborem eum ſumere dignatur ut eum interpretari ſeu benè

ſeu malè conetur. At ſi eadem ratio circa verbum Dei obtineret, tùm illi quos Petrus ait Epiſt. 2. c. 3. v. 16. Scripturas detorquere in ſuum proprium exitium, eam maximè revererentur. De his quippe ratio obtinet illa quam Arminiani hîc afferunt: *Abſque hac enim reverentiâ eſſet, contemtim haberent omnia & de ſenſu eorum manum non verterent.* vides, Lector, qualis ſecta hæc ſit!

3. Docent Hæreticos eos ideò quoque Scripturam ſacram maximè revereri, quia ſenſum adverſarii credunt eſſe falſum, ſuum autem verum. Dixeram ego Arcan. lib.1. c.3. p. 21. Itáne Scripturam maximè reveretur, qui ejus ſenſum verum non reveretur, ſed eam in falſum ſenſum detorquet. Reſpondent illi ibid. p. 23. *Non equidem, Vedelie, ſed qui ſenſum Scripturæ idcircò verum eſſe credit, eumque reveretur, quia Scripturam à te tuiſque detorqueri in falſum ſenſum credit, à ſe verò concipi prout debet.* Sic igitur Sociniani & ſimiles execrandi Hæretici Scripturam ſacram maximè reverentur, quia Scripturam ab adverſariis ſuis ſpeciatim Orthodoxis (quicunque tandem illi ſint) in falſum ſenſum detorqueri credunt, à ſe verò concipi prout debet. At Spiritus S. docet eum non revereri Scripturam ſacram, qui eam detorquet, prout Sociniani faciunt, ſed eum qui eas rectè ac ſecundùm mentem Spiritus S. interpretatur; ac non errat in fundamentalibus; præcipuè autem eum qui, etiamſi multa aſſequi non poſſit, nihil tamen docet quod analogiæ fidei conſentaneum non ſit.

4. Docent Bonam conſcientiam eam eſſe, quæ cauſas erroris ſui habet, & ſeriò credit opinionem ſuam veram eſſe, quamvis reipſa falſa ſit. Objeceram ipſis cap. 3. p. 19. eos libertatis Prophetandi & tolerantiæ mutuæ Fundamentum ſtatuere *ſtudium bonæ conſcientiæ:* & oſtenderam eum errorem pernicioſiſſimum eſſe; bonam enim conſcientiam eſſe eam quæ ad normam boni h. e. veritatem & voluntatem Dei in verbo ejus revelatam revera compoſita & inſtituta ſit; eandemque rationem

eſſe

eſſe ſtudii bonæ conſcientiæ. Ad hoc illi nihil reſpondent in vindiciis ſuis. Sciendum itaque hac occaſione eſt, quid illi per bonam conſcientiam, adeòque per ſtudium illius intelligant. Id patet ex Reſponſo ipſorum ad Excerpta Cll. D. D. Proff. Leyd. ubi p.19. docent id bonæ conſcientiæ ſignum eſſe quando quis rationibus rationes contrarias opponit. Arguerant ipſos Orthodoxi Theologi arrogantiæ; reſpondent illi, ſe arrogantes non eſſe: & probant id hoc modo : *Nam Remonſtrantes rationes contrarias oppoſuerunt, & hoc bonæ conſcientiæ eſt, non arrogantiæ ſignum.* Et quidem in talibus rationibus etiam ponunt bonam conſcientiam, quas nemo, ſpeciatim ipſi Arminiani approbare non poſſunt. Ita enim p. 28. ad id quod modò laudati Theologi eis objecerant, quòd condemnent ſuæ propriæ fidei conſortes qui ab acerbâ noſtrorum inſectatione ſe continent, & totis viribus ſe nobis non opponunt, & quod expreſſè pronuncient tales ſervari non poſſe: excuſant illi ſeſe inter alia ex eo, quòd talia exciderint ipſis potius per Zelum, quàm quòd compoſitâ mente meditata videri debeant. Et addunt: *Fieri enim ferè ſolet, ut dum quis pro conſcientiâ ſuâ rationes optimas & graviſſimas militare credit, in primis in arduis & magni momenti negotiis in eam facilè cogitationem incidat, ut alienæ conſcientiæ à ſe diſſidenti rationem nullam ſubeſſe ſibi perſuadeat, etiamſi certum ſit conſcientiæ ejus ſubeſſe poſſe rationes, quas nemo præter ipſum novit, aut ſi quis alius norit, approbare non poteſt.* Vides eos hîc bonam conſcientiam vocare quæ rationes optimas & graviſſimas pro ſe militare credit; contrà malam conſcientiam propter quam damnaverant iſtos proprios ſuos fratres vocare, cui ratio nulla ſubſit aut non ſubeſſe videatur; denique rationes tales ſubeſſe conſcientiæ non malæ & non damnabili poſſe, quas nemo approbare poſſit. Atque hinc etiam ſtatuunt ut vidimus capite præcedente Socinianos à pertinaciæ culpa alienos eſſe, quia cauſas ſui erroris non leves habeant. Ex qua hypotheſi neceſſariò ſequitur Antitrinitarios ſecundùm eam doctrinam

Arminianorum etiam bonam conſcientiam habere. Vides quàm monſtroſa & portentoſa animi ſenſa hi homines habeant. De quibus obſervandum eſt, quod ipſi fatentur ſe interdum mente parùm compoſita ſcribere. Ita enim ibid. *Quòd ſi tamen in priores quadam aliquando acerbiùs dicta aut ſcripta* (à Remonſtrantibus) *eſse comperientur, ea in calore & aſtu illo perſecutionum quo animandi erant fideles, & ſcrupuli qui infirmorum conſcientiis ab exemplo eorum ſubinde infigebantur eximendi erant, excidiſse potius per Zelum, quàm compoſita mente meditata videri debent.* Annon igitur vel ex proprio ſuo judicio digni ſunt, quos illuſtriſſimi ordines debito modo coërceant, ob ſcripta quæ hactenus evulgarunt aut in futurum evulgaturi ſunt; quia ipſi fatentur ſe quædam mente parùm compoſita ſcribere. Quod quia hactenus à Proceribus nondum factum eſt; contigit juſto Dei judicio, ut quò plus ſcripſerunt, eò plus cauſæ ſuæ nocuerint.

Corollarii loco notetur, quòd quemadmodum in Apologia ſtudium bonæ cõnſcientiæ faciunt fundamentum libertatis Prophetandi; ita poſt editam Apologiam, in Reſponſione ad Excerpta &c. ejuſdem fundamentum ſtatuunt *dictamen conſcientiæ uniuſcujuſque.* Ita enim p. 54. *Remonſtrantes ſuum cuique Eccleſiæ judicium liberum eſse volunt. Quod quæque volet amplectatur & approbet pro conſcientiæ ſuæ dictamine.*

CAP. IV.

Arcana Nova Armin. circa doctrinam de uſu rationis in rebus fidei; ex cap. 4. Vindic. lib. 1.

1. *Quæ ſupra rationem ſunt, debere ſimul eſſe ſecundùm rationem.* 2. *Dicere dogma aliquod eſſe non ſecundùm rationem nec contra rationem, ſed ſupra eam, eſſe ignorantiæ aſylum*

aſylum & pertinatiæ κρηΦύγετν. *3. In judicio faciendo de Controverſis dogmatis initium non debere fieri à verbo Dei ſed à ratione. Quando controverſia eſt de puritate antiquitatis circa dogma aliquod, non eſſe eam decidendam ex verbo Dei. Et hoc quidem utrumque ob eam cauſam quia verbum Dei eſt controverſum. 4. Fidem Chriſtianam niti aliquo opere rationis 5. Deciſionem Controverſiæ an Chriſtus natus ſit ex ſubſtantiâ virginis Mariæ neceſſariò petendam eſſe ex philoſophiâ. 6. Antitrinitarios ideò non levem cauſam habere hæreſeos ſuæ, quia eorum doctrina de Trinitate conformior ſit rationi quàm Orthodoxa. 7. Ex affectibus humanis quandoque decidendas eſſe Controverſias fidei. Arminianorum Socinianiſmus in præcedentibus dogmatibus oſtenſus. 8. Arminiani fatentur ſe cùm controverſiam initiò moverent Reformatis circa articulum de Prædeſtinatione &c. non à verbo Dei ſed à ratione initium feciſſe. 9 Docent ex dogmatibus de Trinitate quæ ab Antitrinitariis oppugnantur ſequi non pauca abſurda & rationi diſconvenientia: omne autem illud quòd rationi abſurdum eſt, falſum eſſe. 10. BONI dicuntur Arminianis, item feliciſſima & ad optima quæque nata ingenia, qui Chriſti doctrinam ſuſpectam falſitatis habent, & in Atheiſmum delabuntur, quia veram doctrinam percipere non poſſunt.*

1. CRedidit hactenus Eccleſia ex verbo Dei, Myſteria fidei ſeu ea quæ ſunt ſupra rationem non eſſe ſecundùm rationem, imò nullum myſterium fidei eſſe ſecundùm rationem ſed omnia ſupra eam tantùm: adeoque non ex ratione ſed ex

verbo Dei dijudicanda eſſe; item quando controverſia aliqua de dogmate fidei eſt, tunc ad judicium faciendum non debere initium fieri ab abſurdis rationis, ſed à verbo Dei: Credidit etiam Orthodoxam doctrinam de Trinitate quam Antitrinitarii oppugnant, nihil abſurdi in ſe continere aut ſanæ rationi contrarium; ſed per omnia veriſſimam eſſe. Denique judicavit ſceleratos homines & infeliciſſima atque peſſima quæque ingenia eſſe quæ rationis aut quocunque alio prætextu doctrinam Chriſti totam falſitatis ſuſpectam habent, & tandem in Atheiſmum delabuntur. At Arminianis jam aliter videtur. Primò enim docent Myſteria fidei ſeu ea dogmata quæ ſupra rationem ſunt, etiam debere eſſe ſecundum rationem. In Apologia non ita clarè locuti erant, ſed tantùm dicebant debere eſſe rationi convenientiſſima &c. prout parte primâ Arcanorum videre eſt. Sed jam clarius iſtud impietatis ſuæ arcanum enunciant. Dixeram, verum quidem eſſe, dogmata fidei non debere eſſe contra rationem; ſed exinde tamen non ſequi ea debere eſſe ſecundùm rationem: dari enim tertium; nempè id quod ſupra rationem eſt. Reſpondent illi capite quarto p. 28. *Ineptum hoc eſſe*; & contendunt id quod eſt ſupra rationem, eſſe etiam ſecundùm rationem; nixi hoc fundamento falſiſſimo ſuo; *ſecundùm rationem*, eſſe nihil aliud quàm non eſſe contra rationem; & *ſupra rationem* eſſe nihil aliud quàm ad quod homo antequam ipſi reveletur, ratiocinando pertingere non poteſt: *Rectè ratiocinaris*, inquiunt, NON POTEST DICERE *abſurdum eſſe aut repugnans rectæ rationi aut contradictionem in adjecto habere, id eſt* NON SECVNDVM RATIONEM *ſiquis dicat mortuorum reſurrectionem eſſe futuram*. Item p. 29. *Supra rationem eſt, inquis. Fateor. Ergò non eſt ſecundum rationem. Nego*. Hoc dogma ipſorum repugnare communi conſenſui omnium Theologorum & philoſophorum qui Deum in tribus perſonis adorant, conſtat, quorum nemo adeò abſurdus eſt qui ſtatuat id quod eſt ſupra rationem etiam eſſe ſecundùm rationem. Implicat
enim

enim contradictionem eſſe ſupra rationem adeoque eam ſuperare ſeu in ſuperiore gradu eſſe & eſſe ſecundùm rationem, adeoque in eodem gradu cum ea eſſe. Adeoque falſum etiam eſt, tantùm id quod eſt contra rationem, non eſſe ſecundùm rationem. Nam etiam id quod eſt ſupra aut præter rationem non eſt ſecundùm rationem; planè quemadmodum non illud tantùm, quod eſt contra naturam, non eſt ſecundum naturam; ſed etiam id quod eſt ſupra naturam. Sed hi homines quemadmodum evertunt omnia principia Theologica quoad ſcopū ſuum pervenire poſſint; ita etiam evertunt ob eandem cauſam principia tritiſſima & receptiſſima philoſophiæ. Iudica, Lector, vel ex hoc, an apud hos homines, qui omnes Reformatæ Eccleſiæ Doctores præ ſe contemnunt, ulla ſolida eruditio aut Theologica aut Philoſophica ſit?

2. Atque hinc etiam quando dicitur aliquod dogma non eſſe ſecundùm rationem, nec contra rationem, ſed ſuprâ eā, dicunt p. 32. hoc eſſe ignorantiæ aſylum & pertinaciæ κρησφύγετον *Quiſque*, inquiunt, *quod volet decîdet ex formula ſua, & abſurdiſſimum quoque commentum palliabit ſupernaturalis veritatis ſcæromate, quod nec contra rationem eſſe dicet, nec ſecundùm rationem ſed tertium quiddam ἀκατάληπτον ignorantiæ aſylum & pertinaciæ κρησφύγετον.*

3. Docent etiam quando controverſia eſt de dogmate aliquo, ſeu quando quæritur, anne verbo Dei aliquod dogma ſit conforme, necne: ibi initium non debere fieri à verbo Dei ſed à ratione. Imò quando quæſtio eſt de puritate Eccleſiæ Antiquæ circa dogma aliquod fidei tunc non ex verbo Dei decîdendam eſſe controverſiam: id quod docent ex hoc fundamento; quia verbum Dei ſit controverſum. Dixeram ego p. 33. 34. in judicio de controverſiis formando non eſſe incipiendum à ratione, ſed à ſcripturâ; & non ita procedendum: hæc doctrina eſt abſurda rationi ſanæ ſeu ex eâ ſequitur hoc vel illud abſurdum, Ergò verbo Dei repugnat; ſed ita eſſe procedendum:

dum: hæc doctrina verbo Dei repugnat Ergò eſt abſurda. Reſpondent illi p. 30. *Conſilium primâ fronte ſpecioſum quidem, ſed quod quia ſolo rectæ rationis odio datur meritò ſuſpectum videri debet, & non uno nomine pernicioſum eſt.* Et poſtea multa deblaterant adverſus illud. Inter alia dicunt p. 31. *Pone controverſiam eſſe exempli gratiâ de prædeſtinatione, de cœna Domini &c. & loca quæ hinc inde allegantur controverſa eſſe; quâ viâ juxta hunc proceſſum fiet, ut quis certus ac perſuaſus ſit, hanc non illam controverſiæ partem, verbo Dei contrariam eſſe? Ex ipſo verbo Dei? Atqui illud controverſum eſt. Ex abſurdis? quia videlicet ex hac parte controverſiæ hoc vel illud abſurdum ſequitur, non autem ex alterâ. Atqui ſic procedendum non eſt, ait Vedelius.* Ob eandem cauſam etiam, h. e. quia controverſia ſit de interpretatione verbi divini, dicunt puritatem antiquitatis, quando de ejus teſtimonio ac ſuffragio circa aliquod dogma fidei controverſia eſt, non eſſe æſtimandam ex verbo Dei, & dicunt nihil ineptius eſſe, quàm docere eam æſtimandam eſſe ex verbo Dei; & ideò me ineptum vocant. Ita enim lib. 2. vind. c. 3. p. 86. dicunt Epithetum *puræ* additum antiquitati, eſſe *amuletum & vanum Epitheton.* Et cauſam addunt *Puritas enim* inquiunt *illa antiquitatis unde æſtimabitur? An ex verbo Dei? At de verbi Dei interpretatione hîc quæritur.* &c. *Quid ineptius?* item: *At tota illa antiquitas, inquit Vedelius impura fuit: Pauci illi puri. Cur? quia, inquit Vedelius, cum verbo Dei conſenſerunt. At, inquam ego, de interpretatione verbi Dei quæritur.* Similiter p. 87. *Vbi ſtabis? ubi puritatis definitio reperietur? In verbo Dei, inquies. Ineptè. Nam Arius idem dicet* &c. Ita Arminiani. Quo quidem pacto annon rationi plus tribuant quàm verbo Dei, & eam in hujus locum ponant, unicuique dijudicandum relinquo: quandoquidem dicunt ideò à ratione incipiendum eſſe in judicio de controverſiis fidei, non autem à verbo Dei, quia verbum Dei ſit controverſum. Si enim hæc ratio locum habet; tunc plus certitudinis eſt in ratione quàm in verbo Dei: idque eò magis quia Arminiani contro-

troverſum & certiſſimum ſibi invicem opponunt, ut infrà videbimus cap. 8. adeòque ſecundùm doctrinam Arminianam verbum Dei non eſt certiſſimum, quia eſt controverſum. Dijudicandum etiam unicuique relinquo annon iſti homines, (qui ſubinde calumniantur, Reformatos novum Papatum, & quidem auctoritatis humanæ, introducere velle) verè novum Papatum, Papatum, inquam, & Tyrannidem rationis adeoque auctoritatis humanæ erigant? Et conſtat Colloquium wormatienſe olim ſolutum fuiſſe ac ruptum à Romanenſibus ex eo fundamento Papali, quod hîc Arminiani ponunt; Pontificiis nimirum dicentibus, verbum Dei non poſſe eſſe judicem litis, quia ſit controverſum adeòque materia litis. Nunc videt unuſquiſque candidus & honeſtus vir, quâ fronte hi homines audeant Orthodoxis Theologis ſubinde objicere eos Papatum novum ſub alio nomine, & Tyrannidem invehere velle, doctrinâ ſuâ de deciſione Controverſiarum fidei. Certè nulla major eſt Tyrannis in negocio fidei quàm licentia rationis; non ſecus ac major nulla Tyrannis eſt effræni licentiâ militari aut populari.

4. Hùc facit, quòd docent fidem Chriſtianam quâ percipiuntur myſteria fidei, niti opere aliquo rationis, nimirùm rationis ratiocinatæ. Dixeram ego capite ſeptimo lib. 1. Arcan. fidem noſtram non niti conſequentiâ; nam conſequentia, dicebam, eſt opus rationis; fides autem non nititur opere rationis. Reſpondent illi cap. 7. lib. 1. vindic. p. 39. *Fides noſtra non nititur iſto opere rationis ratiocinantis, ſed opere rationis ratiocinatæ, quando evidentiſſimâ conſequentiâ nititur, quam videlicet ratio facit, quia ut eam faciat, ex naturâ rei aſtringitur.* Id quod falſiſſimum eſt. Fides enim noſtra non nititur alio principio quàm eo in quod reſolvitur; reſolvitur autem tantùm in verbum Dei, non autem in opus rationis ratiocinatæ. Sed de eâ re actum ex profeſſo à nobis eſt in Rationali Thelogico.

5. Cum hac egregiâ ipſorum doctrinâ convenit, quod in Reſponſione ad Excerpta p. 51. dicunt, deciſionem controver-

ſiæ, anne Chriſtus carnem & ſanguinem aſſumſerit ex ſubſtantiâ virginis Mariæ, ex ratione petendam eſſe, ſi res penitius inſpiciatur, & ſic judicium ex philoſophorum Cathedris petendum. *Enimverò*, inquiunt, *ſi res videatur penitius, ad Phyſicos & Medicos recurrendum erit, & ab illis deciſio Controverſiæ petenda. Quæſtio enim principalis hæc tandem erit: An ullus homo naſcatur ex ſubſtantiâ matris ſuæ? Quid ergo? An fides principalis Chriſtianiſmi ab iſtorum Cathedris ac pulpitis pendebit? Omnino ut id fiat neceſſe erit. Nam qui negant, Chriſtum ex ſubſtantiâ matris ſuæ natum eſſe, eorum quidam iſto argumento ſe tuentur, quanquam ineptiſſimo, quòd nullus homo naſcatur ex ſubſtantia matris ſuæ. At quàm turpis & obſcæna ſit quæſtio hæc, & quàm turpe deciſionem ejus petere à medicis & Phyſicis, Doctores ipſi perpendant. Profectò ſi Theologiæ Chriſtianæ fundamenta ex illis principiis petenda ſunt, valdè incerta & ſuſpecta eſt Theologia tota Chriſtiana.* Quod quidem Sophiſma ipſis commune eſt cum impudentiſſimo & ineptiſſimo quodam rabulâ Ieſuitâ, ad quod ex profeſſo & amplè reſpondimus in Rationali Theologico, quod qui vult videre poteſt. Cæterum obſervetur quod dicunt valdè incertam & ſuſpectam fore Theologiam totam Chriſtianam ſi decîſio controverſiarum petenda ſit ex principiis medicis & Phyſicis; quæ utique conſtat rationis eſſe. Sunt igitur αὐτοκατάκριτοι in eo quod dicere audent; in judicio de controverſiis fidei initiũ faciendum eſſe non à verbo Dei quia illud ſit controverſum, ſed à ratione. Hoc enim falſum eſſe, jam ex ipſorum propriâ confeſſione conſtat; quâ dicunt ſi deciſio controverſiarum ex principiis rationis petenda ſit, valdè incertam & ſuſpectam fore totam Theologiam Chriſtianam.

6. Ex eodem fonte manat, quod, quia Antitrinitariorum ſeu Socinianorum hæreſis magis conſentanea eſſe videtur rationi, quàm Orthodoxa ſententia, dicunt eos non leves cauſas habere erroris ſui. Ita enim in Reſponſione ad prædicta Excerpta p. 41. inter alias rationes quibus probant Socinianos non le-

ves

ves cauſas habere erroris ſui, hanc tertio loco ponunt: *Quia quotquot contra eos ſcripſerunt, ſententiam eorum rationi humanæ convenire potius quàm ſuam fatentur.*

7. Hinc denique fit, ut Arminiani etiam ſecundum affectus ſuos nonnunquam putent ſibi interpretandam eſſe ſcripturam ſacram: quia ſcilicet ut tali modo interpretentur Scripturam requirat affectus miſericordiæ & clementiæ. Ita enim in Reſponſ. ad Excerp. p.94. inter alia argumenta, quibus probant ſententiam ſuam, quam etiam à Socino hauſerunt ſeu didicerunt (nimirùm pœnam ſenſus ſeu cruciatuum infernalium Adamo & poſteritati ejus à Deo denunciatam non fuiſſe in commi-natione & ſententiâ quam in Paradiſo Deus protulit) etiam hoc utuntur: *Scitum eſt Iuriſconſultorum, favores ampliandos eſſe & rigores contrahendos, minuſque peccare eum qui preſsè inhæret ſententiæ verbis, quam qui ea interpretatione laxiore aut latiore exaggerare cupit in rei noxam atque incommodũ. Teneri ac commiſerantis animi ſignum eſt in partem clementiæ potius inclinare, quàm in partem rigoris ac ſeveritatis.* Ex his omnibus manifeſtum eſt Arminianos eſſe in hac etiam parte Socinianos: Expreſſè enim Socinus profitetur fontem doctrinæ ſuæ de Trinitate eſſe non ſolùm Scripturam ſed etiam rationem. Sic quippe in animadverſ. ad Theſes Poſnanienſes ad aſſert. nonam num. 2. *Hujus puriſſimæ*, inquit, *& lucidiſſimæ ſententiæ, quod Deus ſive eſſentiâ ſive perſonâ unus ſit, iſque Pater tantum Domini noſtri Ieſu Chriſti, ob eamque rem Ieſus Chriſtus ille unus Deus eſſe nullo modo poſſit, perennis iſque limpidiſſimus fons eſt Spiritus S. in ſacris literis, eaque divinæ auræ particula, quam nobis Deus ipſe ab ipſo creationis initio indidit.* Sic & aliis in locis. Eam Socini doctrinam de uſu rationis in rebus fidei ſequutus eſt Vorſtius, qui in præfatione libri de Deo ait, ſibi propoſitum eſſe omnia *de Deo quam accuratiſsimè examinare ad certiſsimam veritatis regulam h. e. ſacrum Dei verbum, & huic conſpirantem ſanam rationem.* Item ait ibidem: *Sententiæ eâ demum lege recipiendæ ſunt, ſi verbo Dei & ſanæ rationi*

conformes eſſe deprehendantur. Item ait, *in omnibus S. Theologiæ capitibus ſimili quodam examine ſemper nobis utendum eſſe.*

8. Manifeſtum etiam ex dictis eſt, ex quonam principio Arminiani Controverſiam initiò moverint Eccleſiis Reformatis Belgii ſuper quinque articulis notoriis? Ex hoc videlicet; quod inde ab initio hoc monſtri aluerunt animo ſuo; quando quæſtio eſt de judicio faciendo circa aliquod dogma, anne verbo Dei conſentaneum ſit, necne; initium faciendum non eſſe à verbo Dei ſed à ratione. Hoc verum eſſe, præterquàm quod in genere jam produnt iſtud ſuum arcanum, dum docent in omnibus controverſiis dijudicandis initium à ratione faciendum eſſe non à verbo: etiam non obſcurè fatentur illud loco paulò ante allegato Vindic. pag. 31. Nam poſtquam rejeciſſent ſententiam illam meam quæ omnium Euangelicorum eſt, dicunt: *Nam pone controverſiam eſſe exempli g.* DE PRÆDESTINATIONE, *de cœna Domini &c. & loca quæ hinc inde allegantur controverſa eſſe &c.* Habes igitur, pie lector, confitentes reos, habes verum principium quo nituntur Controverſiæ illæ quas antehac Eccleſiis Reformatis moverunt Arminani: quia ſcilicet initium fecerunt non à verbo Dei, ſed à ratione in judicio inſtituendo de illis controverſiis. Unde illis poſtea contigit, quod in Arcanis monui ſolere contingere iis qui à ratione non à verbo Dei incipiunt. Nam inde factum, ut ad ſuam opinionem & præjudicium quod abſurdis rationis nititur Scripturam inflecterent & detorquerent; ac ipſis in mentem non venerit dogmata noſtra etiamſi non ſint ſecundum rationem nec contra eam, eſſe tamen ſupra rationem; quæ per conſequens abſurda & rationi contraria eſſe nequaquam poſſint. Hinc factum ut abiicerent veritatem, eam convitiis & blaſphemiis horendis peterent, quæ in ipſum Deum redundant. Quod cùm ita ſit, & ipſi Arminiani Theologi fateantur, quis verus fons ſit doctrinæ ſuæ de Prædeſtinatione & annexis, nimirùm quòd non à verbo Dei ſed à ratione inceperunt: unuſ-

quiſque videt, etiam ex iis qui ipſis hactenus fidem in eâ re adhibuerunt & eorum ſententiam ſequuti ſunt, ſe omnem cauſam habere reiiciendi & deſerendi etiam iſtam doctrinam eorum.

9. Docent etiam in hoc capite quarto Vindiciarum Arminiani, Orthodoxa dogmata de Trinitate, quæ ab Hæreticis ſpeciatim Socinianis negantur & oppugnantur multa abſurda in ſe continere: omnia autem illa dogmata quæ abſurditatem in ſe continent falſa eſſe. Unde patet quæ ipſorum intima mens ſit de Orthodoxis dogmatis illis, h. e. eos reverâ Socinianæ hæreſi & ex animo addictos eſſe, ac tantùm ſimulare Orthodoxam doctrinam de Trinitate. Eos ita docere in hoc capite quarto Vindiciarum, oſtendi perſpicuè & verè in parte 2. Arcan. lib. 1. cap. 3. Quare id repetere jam nolo.

10. Cùm talis ſit doctrina Arminianorum de rationis uſu in interpretatione Scripturæ ſeu in dogmatis fidei: jam mirum non eſt eos Encomiis honorare honeſtiſſimis illos qui rationi frena ita laxant, ut ex Orthodoxis dogmatis occaſionem impietatis ſibi fingant, Religionem Chriſti falſitatis ſuſpectam habeant, & tandem in Atheiſmum delabantur. Hos cùm ut ſceleſtos & execrandos homines ac infeliciſſima peſſimaque ingenia ac indolis & naturæ planè perditæ deteſtari debebant; laudant & BONOS idque ſine additione vocant, item FELICISSIMA ET AD OPTIMA QVÆQVE NATA INGENIA. Ita enim p. 30. loquentes de hac noſtrâ doctrinâ quæ in eo conſiſtit, quod in judicio de controverſiis incipiendum ſit non à ratione ſed à verbo Dei &c. *Suſpicionem non levem iniicit animus* BONORVM, *quòd ſanctiſſima & perfectiſſima doctrina Chriſti abſurditatibus non paucis laboret.* Similiter in Reſp. ad Excerpta p. 88. rationem reddentes cur non credant Deum ubique ſeu Omnipræſentem eſſe & immenſum ſecundùm eſſentiam ſuam; Inquiunt non aſſerendam eſſe illam omnipræſentiam ſeu immenſitatem; *quia ſic infinitis & penè inextricabilibus quæſtionibus & diſceptationibus obex ponitur, quibus multorum*

ingenia alioquin FELICISSIMA ET AD OPTIMA QVÆQVE NATA *veluti torrentibus quibuſdam aut obruuntur aut abripiuntur in ſalebras dubitationum, haſitationum, ac tandem in ipſum impietatis gurgitem, id eſt divinæ Majeſtatis vilipendium.*

CAP. V.

Aliud arcanum ejuſdem generis circa dogmata quæ Hæreſiarcham auctorem habent; ex cap. 6. vindic.

1. *Dogma Arminianorum: Quando Orthodoxi Antitrinarios nominatim Socinianos vocant Hæreticos, & hi viciſſim Orthodoxos; parem ex utraque parte rationem eſſe; imò eſſe luſum quo datatim luditur, & convitium quo in orbem itur.*

1. HActenus crediderunt omnes cœtus qui Deum in tribus perſonis adorant, judicium Eccleſiæ Orthodoxæ veteris & modernæ, quo inde ab initio in hunc uſque diem Antitrinitarii quales ſunt Sociniani pro Hæreticis habiti ſunt, rem eſſe maximè ſeriam & ſententiam graviſſimam juſtiſſimæ condemnationis latam adverſum eos, quam ipſe Chriſtus approbat & irritam non facit, ſed ligatos tenet in cœlis Antitrinitarios quos Eccleſia Orthodoxa ligavit in terris: aliam autem rationem eſſe judicii Antitrinitariorum qui Orthodoxos pro Hæreticis habent; horum enim judicium eſſe nihil aliud quàm graviſſimam injuriam, contumeliam & convitium in Eccleſiam Dei propter quod convitium & maledicentiam beatos ſuos Chriſtus pronunciat & contra eos damnat qui illis convitiantur Matth. 5. 10. & Petrus 1. Epiſt c. 2. 12. & c. 3. 16. & c. 4. 14. 15. 16. At Arminiani docent: Quando Orthodoxi Antitrinitarios nominatim Socinianos Hæreticos vocant & hi viciſſim Orthodoxos, parem ex utraque parte rationem eſſe imò eſſe luſum quo datatim luditur & convitium quo in orbem itur. Ita enim, quia

quia dixeram Socinum fuiſſe Hæreticum, non autem Calvinum, reſpondent illi capite quinto libri iſtius vindic. p. 33. *Tum quibus Socinus eſt Hæreticus? An Socinianis? Non, ſed tibi, tuiſque & Orthodoxis omnibus qui Deum in tribus perſonis adorant. Eſto. At Calvinus viciſſim non Socino tantum ejuſque aſſeclis, ſed Pontificiis, Lutheranis, aliiſque Hæreticus eſt & Hæreſiarcha κατ' ἐξοχὴν At eos non curat Vedelius. Nec Vedelium illi. Ita datatim luditur & convitiando in orbem itur.* Vides eos loqui de ſententiâ Orthodoxorum & cœtuum omnium qui Deum in tribus perſonis adorant; loco quorum ſubſtituunt poſtea Reformatos, & ex iis perſonas ſingulares pro more & conſueto coccyſmo ſuo.

CAP. VI.

Alia Arcana nova Arminianorum, circa Neceſſaria & ea quæ in Scripturâ continentur &c. ex cap. 6. Vindic. lib. 1.

1. *Arminiani interdum, quando putant id è re ſuâ eſſe, negant aliquid in Scripturâ exſtare, quia non totidem verbis exſtat.* 2. *Negant interdum ſe dixiſſe aliquid, quia non totidem literis & Syllabis dixerunt, etſi rem eandem aliis verbis dixerint, & contrarium non doceant.* 3. *Iidem negant interdum Orthodoxos dixiſſe aliquid, quia non totidem verbis dixerunt.* 4. *Dicunt, per conſequentias probare quod apertè & directè probandum eſt, non eſſe apertè probare, ſed tantundem eſſe atque fateri ſuam ſententiam falſam, adverſarij autem veram eſſe.*

1. CRedidit hactenus Eccleſia tota id etiam in Scripturâ exſtare, quod nonſolùm ῥητῶς ſeu totidem verbis in eâ continetur, ſed etiam id quod, etſi non totidem verbis, tamen quoad rem in

rem in eâ continetur & per bonam ac neceſſariam conſequentiam ex eâ educitur ſeu, ut Paulus loquitur, quod ſecundum Scripturas eſt 1. Cor. 15. 3. 4. Hoc Arminiani negant, non quidem ſemper, ſed quando id ex re ſuâ & Antitrinitariorum manifeſtariorum eſſe judicant. Verum hoc eſſe patet ex capite ſexto Vindiciarum in quo de Neceſſariis & iis quæ claré in Scripturâ continentur agitur. Objeceram ipſis Arcanorum capite ſexto, quòd doceant de Spiritu S. adorando ne indicium quidem manifeſtum in Scripturâ eſſe, imò ne hilum quidem: hoc non negant in capite iſto ſuo ſexto, ſed ſicco pede tranſeunt ac tacent; quod ſuum ſilentium cap. 9. p. 50. exponunt, dum expreſſè illud quod de Sp. S. dixerant defendunt dicentes, *ſe nec præcepto nec exemplo ullo demonſtrare poſſe ex Scripturâ quod Sp. S. ſit adorandus*; & tamen ibidem dicunt: *Remonſtrantes profitentur Spiritum S. adorandum eſſe, quia Deus eſt*, & addunt ſe hoc nimirum quod Deus ſit *tribus argumentis* probâſſe, (quæ certè ex Scripturâ petita ſunt) unde neceſſariò ſequitur eum adorandum eſſe. Idem faciunt in Reſp. ad Excerp. Cll. D.D. Proff. Leydenſium ubi dicunt, non ſolùm nullum manifeſtum indicium, ſed *ne indicium quidem* in Scripturâ eſſe illius rei, & addunt: *Remonſtrantes illud indicium hactenus reperire aut deprehendere licet ſummo ſtudiò adnixi non potuerunt.* Item, *id adhibitâ omni diligentiâ obſervare non potuerunt*, p. 50. Vides eos ſtatuere, ideò à Scripturâ non dici; Spiritum S. eſſe adorandum quia id etſi ſecundum rem in eâ exſtet, tamen totidem verbis non dicitur ab eâ. Eadem ratio eſt non ſolùm dogmatis de Simplicitate Dei de quâ eodem modo ſentiunt; dicentes *hujus quæſtionis deciſionem in Scripturâ non contineri certum eſſe*; item, *ne jota quidem de ſimplicitate Dei in Scripturâ eſſe*, ut in Arcanis oſtendimus: ſed etiam aliorum dogmatum fidei v. g. *Patres V. T. in Chriſtum Ieſum credidiſſe* ut ibidem cap. 9. vidimus. Item, Deum omnipræſentem eſſe ſecundùm eſſentiam; hoc enim inquiunt *dici extra & præter Scripturas* Reſp. ad Excerp. p. 87. item *eſſe altum de eâ re ſilentium*

lentium in Scripturâ p. 88. item, *Scripturam nuſpiam ne verbulo a ſe vel illius meminiſſe* p. 89.

2. Unde jam patet quomodo accipiendum ſit; quando interdum de ſemet ipſis dicunt, ſe aliquid non dixiſſe, non affirmaſſe, non aſſeruiſſe, non negâſſe, aut non affirmare, non negare &c. Mens enim eorum eſt ſe non dixiſſe aut dicere totidem literis & ſyllabis, etſi rem aliis verbis dixerint aut dicant, contrarium autem nequaquam doceant vel profiteantur. Sic enim v. g. ſupra Vindic. cap. 3. p. 21. dicunt ad id quod ipſis objectum de libertate prophetandi Enthuſiaſtis concedendâ: *Nuſpiam id ita aſſeruerunt Remonſtrantes*; cùm tamen id aliis verbis in Apologiâ dixerint, & ibidem in Vindiciis id conceptis verbis ſtatim poſt profiteantur. Sic in Reſponſ. ad Excerp. p. 24. dicunt: *Remonſtrantes cum Socinianis communionem ſe inire velle nuſpiam affirmant.* Et p. 35. dicunt *de Socinianis eorumque placitis ex albo habendis* (h. e. quod Sociniani non debeant expungi ex albo Chriſtianorum aut ſalvandorum propter ſectæ ſuo placita) *in Apologiâ Remonſtrantium ne γρῦ quidem eſt.* Quod ideò dicunt, quia, ut ipſi ſe ibidem pag. 38. explicant, (quod bene obſervandum eſt) nuſpiam ex profeſſo ſive nominatim de Socinianis aut eorum dogmatibus loquuti ſunt: *Certum eſt* inquiunt, *Remonſtrantes nuſpiam ex profeſſo ſive nominatim de Socinianorum dogmate loquutos eſſe, quod tamen auctor iſtius libelli* (de pace & concordia) *fecit.* item: *Quia iſtè diſertè & in terminis Socinianos inter eos collocat, quibus ſalus abjudicanda non eſt: id nuſpiam fecerunt Remonſtrantes.* Sic igitur negant illi ſe ita de Socinianis ſentire ac ſtatuere quia id non totidem literis & ſyllabis dicunt: quamvis rem manifeſtiſſimè in Apologiâ doceant, nec non evidentiſſimè & ampliſſimè tam in Reſponſ. ad Excerp. quàm in Vindiciis ſuis. Similiter cum Cll. Proff. Leyd. in Excerptis objeciſſent ipſis, quod ſtatuant non damnari eos à Chriſto, qui non credunt in unâ eſſentiâ divinâ eſſe tres perſonas, Filium Dei eſſe ab æterno &c. regerunt illi in Reſponſione allegatâ

p. 81. *Primò certum eſt in Apologia non affirmari quod propoſitiones iſtæ tales ſint, quas Chriſtus non damnat, nec expreſſe nec per neceſſariam conſequentiam aut evidentem collectionem, ſed hoc tantùm concludi atque inferri à Doctoribus ex Apologiâ eorum.* Et mox ibidem: *Remonſtrantes non negant diſertè.* item ſtatim poſt, *Deinde, non dicunt ſimpliciter ſe pronunciare non audere de abſolutâ & ſimplice earum neceſſitate, ſed tantùm dicunt ſe occaſione verum quæ antè dicta erant, cauſam habere cur pronunciare id non audeant.* Cùm tamen rem manifeſtiſſimè in Apologiâ, & ibidem in Reſponſione & jam in vindiciis non uno in loco plurimis proponant & defendant; nullibi autem contrarium.

3. Similiter quando adverſarii ipſorum v. g. Reformati aliquid non dicunt totidem verbis ſeu totidem literis & ſyllabis, tùm dicunt interdum Arminiani ne jota quidem illius a nobis dici. Modo laudati viri Cl. in Excerptis ſuis Catalogo ſecundo artic. primo p. 23. in margine dixerant ſe oſtenſuros quid ſentiant Arminiani de fide & ſalute Patrum veteris Teſtamenti. Et in eum finem proferunt doctrinam Arminianorum, quæ in eo conſiſtit, *non extare in V. Teſtam. claras & expreſſas promiſſiones vitæ æternæ*: item locum Apologiæ quo conceptis verbis dicunt Arminiani. *Certum eſt præceptum fidei in Chriſtum nuſquam in veteri Teſtam. clarè traditum exſtare, ubi neque de terminis promiſſionem vitæ æternæ.* Replicant illi in Reſp. ad Excerp. p. 72. Orthodoxos modo laudatos Theologos ne jota quidem habere in ſuo textu de fide & ſalute Patrum ſub V. Teſtamento. *Ac primo quidem infeliciter admodum,* inquiunt, *ordiuntur Excerptorum ſuorum telam. In ipſo Exordio hallucinantur & ſeipſos [illegible]. Quid ſentiant Remonſtrantes de fide ac ſalute Patrum ſub V. Teſtamento primum [illegible], ubi verba ad [illegible] poſita diſertè habent, cùm nec de fide, nec de ſalute Patrum ſub veteri Teſtamento, vel jota in ipſo Doctorum textu ſit, quod ſane omnium primum σφάλμα eſt, ne quid gravius dicamus.* Et mox *in textu tantùm de promiſſione vitæ æternæ agitur.* Quod poſtremum [illegible]

tum [illegible]

mi verum eſſet, h. e. ſi Orthodoxi Thologi tantùm allegâſſent ſententiam Arminianorú de promiſſione vitæ æternæ patribus factã, certe ſatis feciſſent propoſito ac promiſſo. Nam qui negat aut affirmat vitã æternã Sanctis & fidelibus Patribus V. Teſtam. promiſſam ſufficienter etiam negat aut affirmat Patres fideles Veteris Teſtam. credidiſſe ſe vitam æternam ac ſalutem conſecuturos. Et tamen, ut hoc obiter addam, & illud falſum eſt. Etenim Cll. Theol. Leydenſes etiam in terminis allegant locum Apologiæ hunc, ut modò dictum, quo profitentur Arminiani præceptum fidei in Chriſtum nuſpiam clarè traditum eſſe. Unde jam patet cauſa propter quam interdum Arminiani negent ſe aliquid dixiſſe, docuiſſe, docere quia ſcilicet non iiſdem terminis id dixere aut docuere. Et hic mirum non eſt M. Epiſcopium qui hoc modo agendi in ſcriptis ſuis utitur, oretenus quoque in planâ Synodo Dordracenâ auſum fuiſſe negare ſe dixiſſe, quod audiente tota Synodo & teſtantibus illis ipſis qui Illuſtriſſimorum Ordinum Generalium Majeſtatem in ea repræſentabant, dixerat, prout videre eſt ſpeciatim ex Decreto ipſorum h. e. Generoſiſſimorum & Nobiliſſimorum Dominorum Delegatorum ſeſſione 29. p. 100. ſuper eo & aliis rebus lato. Cujus decreti æquitas etiam ex dictis manifeſta eſt; nec non ex eo quod quantum ad aſſumentum attinet quo ibi M. Epiſcopius uſus fuit inquiens ſe dixiſſe ſe non habere *exemplar aliud*, videlicet *nitide deſcriptum*; ſimili modo agendi etiam in Vindiciis utitur ſpeciatim lib. 1. cap. 4. p. 26. ubi dicit ſe dixiſſe peritos & accuratos rerum æſtimatores ſacrum hunc ritum (S. cœnam) vanitatis ſuſpectum habere, *ſi videlicet uſurpatum*; quibus tamen ultimis verbis uſi in Apologia non fuerunt, imo quod magis eſt, nec ſcopus nec reliqua quæ ibi dicuntur eam limitationem admittunt: prout ex Capitis illius Examine manifeſtiſſimum fiet in parte IV. Arcanorum. Adeoque patet Epiſcopii negationem, qua in Synodo negavit ſe id dixiſſe, nullam fidem mereri. Vides, Candide & optime Lector, ingenium atque indolem horum hominum

præcipuè Epiſcopii. Nam judica an apud te in poſterum ullam fidem mereri debeant, non ſolum in negocio Religionis, ſed etiam in aliis rebus levioribus. Nam qui ita ludunt in negocio Religionis, quid in aliis rebus faciant? Speciatim autem Proceres Reip. ex dictis vident, quid expectare habeant, & quod judicium ſibi faciendum ſit de reſponſis Arminianorum: ubi v. g. hi homines aliquando ab ipſis interrogabuntur: annhoc vel illud doceant aut ſcripſerint. Ubi enim id rebus ſuis expedire videbunt, ſtatim niſi id ipſum totidem verbis dixerint aut ſcripſerint, negabunt ſe id dixiſſe etiamſi rem luculentiſſimè dixerint, ſcripſerint, doceant aliis literis & ſyllabis, ac contrarium nullibi condemnent aut rejiciant, ſed approbent. Hæc neceſſariò mihi monenda fuerunt occaſione illius imperantiæ quâ ita ut dixi de Spiritu S. ſtatuunt, quò unusquiſque ſibi ab impoſturis eorum cavere eo melius poſſit. De reliquo modo agendi quo in vindiciis ſuis utuntur, agam volente Deo in præfatione Examinis earũ; & dubium non eſt quin omnes honeſti viri vel eam ob cauſam tunc deteſtaturi ſint improbitatẽ horum hominum & deploratam eorum cauſam eſſe ſint intellecturi.

4. Affinchis eſt, quod in Reſponſione ad eadem Excerpta dicunt, per conſequentias aliquid ex Scripturâ probare quod directè atque apertè probandum eſt, non eſſe directè atque apertè probare, item tantundem eſſe atque fateri ſe caſſe. Modo laudati Theologi Excerptorum artic. 10 notârunt hoc dogma Arminianorum, quo *negant locum ullum eſſe unde appareat fidem in Chriſtum moriturum in vetere Teſtamento directè & aperte præſcriptam aut exercitam fuiſſe.* Et adverſus hanc falſiſſimam & peſtilentiſſimam doctrinam eorum attulerant Orthodoxi argumenta evidentiſſima & clariſſima v. g. quod Apoſtolus ſæpius repetat ſe nihil dixiſſe de Chriſto extra ea quæ Moſes & Prophetæ futura prædixerant &c. Regerunt illi in Reſponſione ſua p. 104. Orthodoxos Theologos *nullum locum allegare ex quo ſ.dem illam directè atq; aperte præſcriptam eſſe appareat,*

inque

inquiunt *Conſequentias allegant, ſed ex conſequentiis concludere quod directe atque aperte probandum eſt tantundem eſt atque fateri verum eſſe id quod aſſerunt Remonſtrantes.* Id quod verum quidem eſt de conſequentiis falſis & calumnioſis, quales ſunt blaſphemiæ & calumnioſæ conſequentiæ quibus Arminiani Orthodoxam noſtram de prædeſtinatione doctrinam gravant; ſed falſum eſt illud de conſequentiis promiſcuè omnibus, & quidem talibus, quales ſunt iſtæ conſequentiæ Orthodoxorum Theologorum.

C A P. VII.

Alia dogmata Arminiana hujus generis, de Myſterio S.S. Trinitatis; ex cap. 7. Vindic. lib. 1.

1. *Dogmata Arminianorum: Doctrinam Orthodoxam de Myſterio Trinitatis controverſam cum Antitrinitariis cœpiſſe demum cum Concilio Niceno.* 2. *Verum illum ſenſum myſterii Trinitatis non eſſe ſenſum literalem illius.* 3. *Eundem ſenſum verum non eſſe neceſſariæ veritatis; & quidem ideo; Quia ſenſus ille controverſus eſt. Hinc ſi quis Antitrinitariorum eum oppugnantium pietatem in dubium vocet, ejus pietatem pari jure ſuſpectam eſſe debere.* 4. *Dogma hoc, Chriſtum eſſe Filium Dei unigenitum non eſſe neceſſarium ad ſalutem.* 5. *Arminianorum Hypocriſis, dicentium ſe ob reverentiam numinis non poſſe agnoſcere myſterium illud prout controverſum eſt eſſe neceſſarium ad ſalutem. Antitrinitarios multo eſſe meliores Orthodoxis. Fatentur ſe odiſſe eos qui aſſerunt dogmata Orthodoxa de Trinitate eſſe neceſſaria ad ſalutem adeòque damnant Antitrini-*

tarios. 6. Antitrinitarios graves cauſas habere cur non amplectantur dogmata Orthodoxa de Trinitate, ſed ea reiiciant. 7. Dogmata illa Orthodoxa aut planè tacenda eſſe, aut de illis diſputandum eſſe tantùm meris conjecturis, & libertatem opinandi unicuique relinquendam eſſe. 8. Arminiani docent Chriſtum ſecundam perſonam Trinitatis potuiſſe non obedire Patri, & ſic eam Arij hæreſin profitentur, ut ex Antiquitate Eccleſiaſticâ docetur. 9. Sed [illegible] modis ab Eccleſiâ totâ circa doctrinam de myſterio Trinitatis diſſentiunt.

1. HActenus credidit tota Eccleſia Orthodoxa vetus & moderna, Myſterium Trinitatis prout illud controverſum eſt cum Antitrinitariis eſſe doctrinam antiquiſſimam, traditam in verbo Dei Eccleſiæ etiam Veteris Teſtamenti, manifeſtiorem factam in Chriſto & à Chriſto per adventum ejus in carnem, prædicatam ab Apoſtolis, & receptam perpetuò inde ab initio Eccleſiâ totâ vetere Orthodoxâ. At Arminiani docent eam doctrinam cœpiſſe demum & ortam eſſe cum Concilio Niceno h. e. annis quaſi 327. à nato Chriſto. Ita enim capite 7 vindic. lib. 1. p. 37. 38. *Tantum enim abeſt ut Patres* ANTE CONCILIVM NICENVM *omnes ea dogmata neceſſaria eſſe judicaverint, ut ſi ſcripta eorum videantur, eorum multi ea ignoràſſe & longè ſecius de Trinitate quàm* MVLTO POST SENTIRI COEPTVM eſt, *ſenſiſſe, haud obſcurè colligatur.* Quod etiam Socinianorum conſictum mendacium eſt, qui perpetuò nobis occinunt doctrinam Eccleſiæ de Trinitate eſſe inventum Concilii Niceni. In ſummâ Arminiani, circa myſterium Trinitatis, ut illud ludibrio exponant, arripiunt omnia adminicula quibus Sociniani ad illud evertendum utuntur: quemadmodum vidimus etiam eos hîc dicere, cum Socinianis Patres recolli-

potiſſimos facere in hac controverſiâ. Et hic quidem novum argumentum nobis ſuppeditant Arminiani, jungendum illis, quibus parte II. Arcanorum oſtendimus eos ſimulatores Antitrinitariorum eſſe circa veritatem doctrinæ Orthod. de Trinitate quam Sociniani oppugnant. Nam præterquam quòd (ut ibi oſtendimus) anathema dicere nolunt Antitrinitariis, & contendunt Orthodoxa ea dogmata nec ῥητῶς nec per evidentem & neceſſariam conſequentiam in Scripturâ exſtare; loca Scripturæ quæ pro iis afferuntur ad unum penè omnia luxata eſſe aut aptata ſenſui Socinianorum; eos eſſe præcipuos defenſores myſterii hujus qui negant illud ſolidè ex Scripturâ probari poſſe; ea dogmata aut ſilentio involvenda, aut tantum probabiliter & conjecturis ſolùm de iis diſputandum eſſe; denique ex iis ſequi multa abſurda: hic etiam docent dogmata illa Orthodoxa cœpiſſe demum tempore Concilii Niceni. Ex quo ipſo quoque patet veriſſimum eſſe quod Parte II. Arcan. oſtendi; nimirum hos homines ſimulatoriè tantùm profiteri Orthodoxam doctrinam de Trinitate, ex animo autem blaſphemiis Turcicis Socinianorum addictos eſſe.

2. Credidit etiam hactenus Eccleſia Myſterium Trinitatis nō habere alium ſenſum quàm verum illum quem Antitrinitarii oppugnant, adeóque eum pro literali ſenſu myſterii illius unicè agnovit. Et ita quidem credidiſſe hactenus Eccleſiam ipſi Arminiani non negant; item dicunt hoc eſſe Pontificium dicere: *Eccleſia Chriſtiana tota ita ſemper judicavit* p. 40. At iidem Arminiani etiamſi ore profiteantur & ſimulent ſe eum ſenſum pro vero habere, tamen negant eum eſſe ſenſum literalem myſterii illius. Dixeram ego idem ſenſum illum eſſe neceſſarium ad ſalutem, quia ille ſenſus ſit ipſe literalis ſenſus partis verbi Dei quæ neceſſaria eſt ad ſalutem. Hic illi multùm in me debacchantur ob hanc cauſam. Inter alia dicunt p. 40. *Quiſquàmne eſt adeò emunctæ naris & ſubacti ingenii, ut iſtorum verborum ſenſum literalem ipſum eſſe non dico intelligere poſſit, ſed vel hariolari audeat, niſi*

qui

qui primùm aut ex aliis Scripturis aut ex locis communibus aut ex Catecheſi ſuâ iſtam Chriſti deſcriptionem didicit? Egregiam verò probationem: Quaſi ſenſus literalis ille tantum ſit, quem quis ſine collatione Scripturarum aut præviâ inſtitutione aſſequitur. pergunt: *Ergòne, inquis, negas ſenſum illum verum eſſe. Nihil minus. Aliud eſt ſenſum iſtum verum eſſe, aliud ſenſum iſtum eſſe literalem iſtorum verborum ſenſum, & quidem literalem ſenſum partis verbi Dei quæ neceſſaria eſt ad ſalutem.* Et hoc probant ex eo, quia alioquin ſequitur eos qui contra ſentiunt damnatum iri. Denique jubent, ut probem eſſe ſenſum literalem myſterii illius. Hæc Arminianorum ſententia eſt. Dicant igitur nobis, Quandoquidem ſenſus ille ſenſus verus eſt, & tamen non literalis, qualis igitur ſenſus ſit, an forte Allegoricus, an Anagogicus, an Tropologicus, an accommodativus, quales ſenſus Pontificii Scripturæ affingunt? Cauſa autem propter quam non admittunt illud Arminiani, hæc eſt quam ipſi ibi non diſſimulant. Si enim admitterent hunc ſenſum eſſe verum ſenſum literalem, tunc cogerentur id myſterium prout controverſum eſt cum Antitrinitariis habere pro neceſſario ad ſalutem, ut oſtendi in Arcanis, & tenerentur Antitrinitarios pro Hæreticis habere. Hinc dicunt: *Nam ſi hoc admittitis, Iudices, tùm æternæ mortis ſententia ferenda eſt de plano non dicam in eos qui contra ſentiunt quorum ingens turba eſt, ſed etiam in myriadas hominum &c.*

3. Credidit hactenus Eccleſia tota conſequentias illas veras quibus veræ enunciationes myſterii illius prout controverſum eſt, h. e. expoſitiones & ſenſus illius e Scripturâ eductæ ſunt eſſe certiſſimas & neceſſariæ veritatis. At Arminiani quemadmodum docent ut ante hac Arcan. lib. 1. c. 7. vidimus eas non eſſe evidentis veritatis, ita etiam docent eas non eſſe neceſſariæ veritatis ſeu certiſſimas. Ita enim p. 38. *Remonſtrantes quamquam videant iſta dogmata expreſſis in Scriptura non exſtare, ſed per conſequentias unde educi à multis, ſuppoſito tamen adhuc [illegible] dunt ne quid divinâ Majeſtate indignum ſentiant aut profiteantur:*

& [illegible]

& an conſequentiæ iſtæ neceſſariæ ſint in medio relinquere malunt, quàm in alterutram partem inclinare judicium. Atque id quidem ſentiunt ac dicunt eo prætextu; quod illa dogmata controverſa ſint; quemadmodum oſtendimus Par.11. Arcan. lib.1.c.3. quò Lectorem remittimus. Hùc facit, quòd, ut capite præcedente vidimus, dicunt; per conſequentias aliquid probare quod apertè atque directè probandum eſt, eſſe tantundem ac fateri ſuam ſententiam falſam, adverſarii veram eſſe. Item, quòd in Reſp. ad Excerp. ex eo, quòd conſequentiæ illæ controverſæ ſunt, inferunt; quòd ſi Sociniani qui ea dogmata atque eas conſequentias negant, ideò pii, piiſſimi &c. dicendi non ſint, quod, inquam, tunc impii etiam dicendi ſint qui ea dogmata pro veris agnoſcunt: quia ſcilicet controvertitur ab Arminianis & Socinianis apertis anne evidentes ſint iſtæ conſequentiæ. Ita enim inter alia quibus defendunt quod dixerant Socinianos eſſe homines pios, piiſſimos &c. ajunt p. 84. *At, inquies expreſſè revelata credi debent ea omnia etiam quæ per evidentem conſequentiam ex expreſſis deducuntur. Eſto. At an ea quæ iſti errantes non credere dicuntur per evidentem conſequentiam è Scripturis deducantur, controvertitur. Quare ſi pietas illorum ſuſpecta eſt, & veſtra pari ſuſpicione gravari meretur.* Bone Deus! Aliquem qui doctrinam Trinitatis amplectitur, quam ipſi Arminani ore ſed ſimulatoriè profitentur veram eſſe, impium mereri dici ideò quia ſequitur doctrinam veram talem quæ controverſa eſt; & quidem eodem jure quo Antitrinitarii impietatis poſtulantur. Poteſtne ea doctrina controverſa vera eſſe aut credi, quam qui ſequitur impius meretur dici non ſecus ac Hæreticus meretur impius dici quia eam oppugnat? Ex hoc ipſo jam judicet Lector annon veriſſimum ſit quod oſtendi in parte ſecundâ Arcanorum; nimirùm Arminianos animo ſuo ſentire doctrinam Orthodoxam de myſterio Trinitatis quam Antitrinitarii oppugnant veram non eſſe; h. e. eos reverâ Antitrinitarios eſſe, & tantùm ſimulare doctrinam Orthodoxam. Cæterum quod di-

Ff cunt

cunt doctrinam Orthodoxam illam non eſſe evidentis veritatis in eo profectò *αὐτοκαλάκριτοι* ſunt. Nam in Confeſſione ſuâ dicunt Deum PATEFECISSE hanc doctrinam in verbo ſuo. Ita enim cap. 3. §. 1. *Cæterùm diſtinctè ac relatè conſideratur Deus ſub trinâ hypoſtaſi ſive tribus perſonis; ſub quibus videlicet ipſe Deitatem ſuam Oeconomicè nobis atque ad ſe ipſam reſpectivè meditandam in verbo ſuo patefecit.*

4. Credidit etiam hactenus Eccleſia tota, Neceſſarium ad ſalutem eſſe hoc dogma *ῥητῶς* in Scripturâ expreſſum: *Chriſtum eſſe filium Dei unigenitum.* At Arminiani non agnoſcunt hoc dogma eſſe neceſſarium ad ſalutem; quemadmodum ex capite ſeptimo vindic. lib. 1. oſtenſum à nobis eſt in parte II. Arcan. lib. 1. cap. 4.

5. Hactenus etiam Eccleſia tota ob reverentiam quam uni vero Deo in tribus perſonis debet, dogmata illa Orthodoxa Trinitatis pro neceſſariis habuit, & Hæreticos eſſe judicavit atque homines impios & cum anathemate execrandos illos qui Orthodoxa illa dogmata negant; contrà autem communionem fraternam colendam eſſe duxit, cum iis qui dogmata iſta ut ſummè neceſſaria profitentur, & anathema dicunt Antitrinitariis; niſi illi qui in eâ parte Orthodoxi ſunt, alios errores fundamentales & hæreſes profiteantur. At Arminiani profitentur ſe ob reverentiam numinis non audere illa dogmata pro Neceſſariis habere, Socinianos inter Hæreticos referre, & illis Anathema dicere; ſed contrà declarant, ſe non ſolum habere eos pro piis, ſed etiam pro talibus qui pietate ſuperant eos qui dogmata iſta profitentur; profitentur quoque ſe odiſſe eos qui illa neceſſaria eſſe aſſerunt & damnant Antitrinitarios. Ita enim hic pag. 38. *Remonſtrantes quanquam vident iſta dogmata* (Orthodoxa) *ῥητῶς in Scripturis non exſtare ſed per conſequentias inde deduci à multis ſuſpenſo tamen adhuc gradu incedunt, ne quid divinâ Majeſtate indignum ſentiant aut profiteantur; & an conſequentiæ iſtæ neceſſariæ ſint in medio relinquere malunt, quàm in alterutram*

tram partem inclinare judicium, ſolius ſupremi & admirandi Numinis reverentiâ. Ubi quod dicunt ſe hoc reverentiâ Numinis facere; mera profectò hypocriſis eſt. Nam dicunt reverentiam Numinis obſtare quò minus ea dogmata & eas conſequentias pro neceſſariis habeant; & tamen reverentia Numinis eos commovere non poteſt, ut pro peccato habeant hæreſes & blaſphemias illas Turcicas Socinianorum oppoſitas dogmatis iſtis Orthodoxis. Porrò in Reſponſione ad Excerpta dicunt ſe cogi fateri Antitrinitarios eſſe multò meliores iis qui dicunt iſta dogmata eſſe neceſſaria ad ſalutem. Ita enim pag. 84. poſtquam dixiſſent ſe adduci non poſſe ut manifeſtam culpam eſſe credant in Antitrinitariis, rationem addunt hanc: *Myriades ſunt iſtorum hominum, quos non ſcelerum tantum puros, ſed vita integros, divinæ Majeſtatis reverentes, ſuæ ſalutis nec prodigos nec incurioſos; quin imò audacibus iſtis aſſertoribus* (ita vocant eos qui dogmata Orthodoxa illa de Trinitate dicunt eſſe neceſſaria ad ſalutem) *aut curioſis indagatoribus multo meliores eſſe fateri coguntur, ſi dicta ac facta illorum cum dictis ac factis horum comparentur.* Imo eos qui vera illa dogmata profitentur & pro neceſſariis habent, ac anathema dicunt Antitrinitariis, non ſolum ita ut vidimus contemnunt præ Antitrinitariis, ſed etiam profitentur ſe eos ODISSE. Ita enim capite iſto ſeptimo vindic. p. 38. poſtquā declaraſſent ſe non poſſe aſſerere illa dogmata eſſe neceſſaria ad ſalutē nec damnare Antitrinitarios, addunt: *Remonſtrantes oderunt iſtos audaces aſſertores & damnatores in tàm arduâ re.*

6. Credidit porrò hactenus Eccleſia tota, Antitrinitarios quales ſunt Sociniani graviſſimas cauſas habere amplectendi dogmata Orthodoxa de Trinitate & nullam planè cauſam legitimam habere ea rejicendi. At Arminiani contrà contendunt, Socinianos graves cauſas habere cur non amplectantur dogmata Orthodoxa illa, ſed ea reiiciant. Eos ita docere vidimus capite primo hujus libri; quare locum ibi allegatum repetere hîc nolumus.

7. Credidit etiam Eccleſia tota, iſta dogmata, quandoquidem adeò clarè atque apertè in Scripturis propoſita & ad ſalutem abſolutè neceſſaria ſunt; non debere taceri ſed in Eccleſiâ perpetuò inculcari & urgeri; nec etiam ullis nedum ſolis conjecturis & probabilitatibus de iis docendum aut ſentiendum eſſe, nec denique in iis dijudicandis libertatem opinandi & tolerantiam mutuam locum debere habere. At contrà per omnia ſentiunt Arminiani. Contendunt enim dogmata illa Orthodoxa aut planè tacenda eſſe, aut ſolis conjecturis & probabilitatibus de iis diſputandum eſſe, ac in iis dijudicandis libertatem opinandi & tolerantiam mutuam locum debere habere. Eos ita docere oſtendimus par.II.lib.I.cap.3.quo lectorem remittimus.

8. Denique Eccleſia vetus & moderna Orthodoxa unanimi conſenſu judicavit Ieſum Chriſtum ſecundam perſonam Sacroſanctæ Trinitatis, etiamſi tanquam verus ac æternus Deus ſummè & verè αὐτεξούσιος ſit h. e. liberrimo arbitrio præditus, non potuiſſe tamen non obedire voluntati patris ſui de obeundâ legatione ad ſalutem noſtram; ſed ita liberè obediiſſe ut tamen etiam neceſſariò obedierit, tantum abeſt ut peccare potuerit. Idque ob eam cauſam quia Pater & Filius ita unum ſunt ut inter eas perſonas non poſſit eſſe διάστασις καὶ διχόνοια *diſſenſio & diſcordia*; & filii voluntas nequaquam poteſt ſejungi aut ſeparari à voluntate Patris; quam etiam tanquam æterna ejus ſapientia pleniſſimè & perfectiſſimè cognoſcit, denique quia in Chriſto, utpote veró etiam atque æterno Deo nulla eſt mutabilitas, quæ ſuſceptibilem eum faciat vitii æquè ac virtutis &c. Contrariam autem ſententiam tanquam blaſphemam & non tolerandam damnavit, atque eam tenentibus tanquam Hæreticis anathema denunciavit. At Arminiani non ſolum in Apologiâ cap. 17. f. 187. b. 188. a. b. docent contrariam ſententiam, ſed etiam poſtquam ob eam rem cenſurâ notati eſſent à Cll. DD. Leyd. perſiſtunt in eâ impietate ſuâ, nimirum Chriſtum voluntati Patris ſui de legatione ad ſalutem noſtram ita

liberè

liberè obediiſſe ut potuerit etiam non obedire. Et quamvis non conceptis verbis dicant Chriſtum potuiſſe peccare ; tamen quemadmodum in Apologiâ f. 188. a. dicunt quantum ad potentiam peccandi attinet ; *nos id non audemus affirmare. Quanquam ſi id omnino affirmaremus, nec primi nec ſoli eſſemus. Certum enim eſt complures olim fuiſſe hodieque eſſe inter Scholaſticos ipſos, qui id publicè & ſine periculo adſeruerunt adſeruntque:* ita in reſponſione ad Excerpta p. 119. repetunt, & dicunt præterea, id ſine ullo periculo aſſeri poſſe : *Non defuerunt*, inquiunt, *inter Scholaſticos, nec deſunt hodieque qui aſſeruerunt aſſeruntque ſine ullo periculo Chriſtum non tantum potuiſſe non obedire ſed etiam potuiſſe peccare.* Et poſtea convellere ibidem ſtudent & evertere fundamenta impeccabilitatis, ut ibi loquuntur, in Chriſto. Atque per ſe evidens eſt, non poſſe aſſeri, Chriſtum potuiſſe non obedire voluntati Patris, quin neceſſariò ſimul aſſeratur Chriſtum potuiſſe peccare. Niſi quis dicere velit, non eſſe peccatum Deo non obedire, item diſſentire à voluntate divinâ. Quod allegant auctoritatem & exemplum Scholaſticorum ; fateor Scholaſticos quoſdam ita docere quos Bellarminus Ieſuita ſequitur lib. v. de juſtific. c. xi ; ſed debebant Arminiani addidiſſe, ante Scholaſticos ita docuiſſe *Hæreſiarcham Arium*, cui eo nomine Concilium Nicenum anathema dixit. Is enim ſtatuebat *αὐτεξουσιότητι κακίας καὶ ἀρετῆς δεκτικὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ filium Dei liberrimâ voluntate præditum virtutis & vitii ſuſceptibilem fuiſſe*, teſte ipſâ Synodo Nicenâ in Epiſtola ad Eccleſiam Alexandrinam, quam Epiſtolam legere eſt apud Socratem ſeu *τρεπτῆς εἶναι φύσεως, ἀρετῆς τε καὶ κακίας ἐπιδεκτικὸν mutabilis eſſe naturæ, & virtutis ac vitÿ ſuſceptibilem* ut de eadem hæreſi Arii loquitur Alexander Alexandrinus in Epiſt. ad Alexandrum Conſtantinopolit. apud Theodoritum, & eundem Socratem. Videatur etiam Sozomenus lib. 1. c. 14. & Athanaſius de ſententiâ Dionyſii Alexandrini. Unde etiam dicebant Ariani *διάστασιν καὶ διχόνοιαν diſſenſionem & diſcordiam* ſeu diſſidium eſſe poſſe inter

Socrat. lib. 1. cap. 6.

Theodor. lib. 1. c. 4. & c. 8. Socrat. lib. 1. cap. 3.

Patrem & Filium, teſte Concilio Sardicenſi ducentorum &
Theod. lib. quinquaginta Epiſcoporum in Epiſtolâ Synodicâ ſua apud
2 c. 8. Theodoritum. Hanc doctrinā Arii, non minus ac reliquas ipſius heterodoxas opiniones, conceptis verbis impiam & blaſphemā vocat Synodus Nicena, & planè intolerabilē eſſe judicat, dicens, οὐδὲ ἴσον ἀκοῦσαι τῆς ἀσεβοῦς δόξης καὶ ἀπονοίας καὶ τῶν βλασφήμων ὀνομάτων ἀνασχομένη &c. *Se ne quidem audire patienter potuiſſe impia ipſius, ſtulta, & blaſphema dogmata*; adeòque ſe ei anathema denunciaſſe ipſa teſtatur in Epiſtolâ ad eccleſiam Ale-
Socrat. lib. xandrinam & Epiſcopos Ægypti, Lybiæ &c. apud Socratem.
3 c. 6. Eodem nomine Arianis anathema dixit Synodus Alexandrina ſub Joviniano ut ipſa Synodus in Epiſtolâ ſuâ ad eum Imperato-
Theod. lib. rem teſtatur, quam legere eſt apud Theodoritum. Renovant
4. cap. 3. igitur Arminiani etiam hac in parte Antitrinitariorum veterum hæreſin, h. e. Arianorum, ut unuſquiſque luce clarius meridianâ videt. Ubi obſervetur, hanc ipſorum ſententiam de liberâ iſtâ obedientia Chriſti eſſe verum fundamentum hæreſium Antitrinitariorum. Ex eo enim quia Chriſtus cùm poſſet non obedire, tamen obedivit patri, ex eo, inquam, tanquam ex ovo excluſit Arius ſuam iſtam hæreſin, quòd Deus, quia prævidebat Chriſtum cum poſſet non obedire tamen obedientiam præſtiturum, eum Deum fecerit. Ex quo ipſo quoque principio Neſtorium elicuiſſe hæreſin ſuam, utpote qui etiam ſtatuit Chriſto
Proſper in divinitatem collatam eſſe pro merito, teſtatur Proſper in Chro-
Chron. ad nico. Unde, ut hoc obiter dicam, patet jam quam pernicioſa
ann. 431. ſit non ſolum iſta doctrina Arminianorum de obedientia Chriſti; ſed etiam in genere doctrina eorum de Libero Arbitrio. Patet etiam exinde Pelagianiſmum & Semipelagianiſmum eſſe verum fœtum Arianiſmi, adeòque Pelagium ſuam ſententiam ex Arii lacunis hauſiſſe, qui ea opinione fuit imbutus ante Pelagium à quo poſtea nomen ſuum accepit.

9. Ex his omnibus jam manifeſtum eſt, veriſſimum eſſe quod in Arcanis dixi, Arminianos longè aliter de myſterio Trinitatis

ſentire

ſentire quàm Orthodoxa Eccleſia vetus & moderna. Recenſui in Arcanis ſeptem modos, quibus adde modos hos octo quos in hoc capite expoſuimus, & denique quòd Eccleſia credit myſterium Trinitatis eſſe neceſſarium ad ſalutem in ſuo vero ſenſu; id quod Arminiani non credunt: & deprehendes eos ſedecim modis diſſentire ab Eccleſiâ quæ Deum in tribus perſonis adorat. Loquor ſaltem de eo quod apertè profitentur; ut jam taceam quod reverâ ipſa dogmata Sociniana animo ferunt, & tantùm ſimulant doctrinam Orthodoxam de Trinitate, ut à me eſt oſtenſum parte ſecundâ Arcanorum; qui decimus ſeptimus modus erit quo ab Eccleſiâ totâ quæ Deum in tribus perſonis adorat, diſſentiunt.

CAP. VIII.

Arcana nova Arminianorum circa dogmata Controverſa; ex capite 8. lib. 1. Vindic.

1. Dogmata Arminianorum: *Non poſſe ſolidè & firmiter probari ex Scripturâ*, Spiritum S. eſſe adorandum, *quia id non exſtet in terminis in Scripturâ.* 2 *Fidem etiam tunc quando verbo Dei nititur, in eo ipſo fallibilem eſſe; & tali fide fallibili credenda eſſe omnia dogmata controverſa.* 3. *Tredecim modi, quibus Arminiani docent controverſa vera dogmata explodere, rejicere, negligere.* Αὐτοκαταχειρία *eorundem.*

1. HActenus credidit Eccleſia ad probationem ſolidam alicujus dogmatis controverſi, ſpeciatim dogmatum controverſorum myſterii Trinitatis ſufficere ut per neceſſariam & evidentem conſequentiam inde eliciatur, etſi non totidem verbis ſeu iis ipſis terminis aliquid in Scriptura contineatur. At Armi-

Arminiani quando id ipſorum cauſæ conducere videtur, dicunt dogma firmiter & ſolidè demonſtrari non poſſe, niſi ῥητῶς in Scriptura contineatur. Ita enim cap. 8. vindic. p. 46. dicunt: ſe in Confeſſione ſua *argumentum ab adoratione Spiritus S. ad probandam Deitatem illius deſumtum non adhibuiſſe quia iſtud firmum & ſolidum eſſe demonſtrare non poſſunt, niſi ex Scripturis aut mandatum de adorando Spiritu S. aut exemplum ad orati Spiritus S. in terminis adferant, cum neutrum in Scripturâ reperiant.* Hinc ibidem dicunt, probari non poſſe minorem hanc: *Atqui Spiritui S. debetur adorationis cultus ex pracepto divino, aut cultus adorationis ei tributus legitur in Scripturâ.* Et addunt: *Da hujus minoris probationem, ſi vir es. Viceris ſi vel hilum dederis.* Qua in re ſibi non conſtant: nam alias ipſi admittunt in aliis rebus probationem non ſolum eam quæ in terminis fit, ſed etiam qua per evidentem conſequentiam aliquid è Scriptura elicitur. Contradicunt igitur ſibi in hac re & ſic ſunt αὐτοκατάκριτοι. Verùm in hac parte, h. e. in hoc dogmate de adoratione Spiritus Sancti, utuntur modo agendi majorum ſuorum h.e. Antitrinitariorũ veterum. Ita enim Maximus Arianorum Epiſcopus negabat in Scriptura ſacra legi *Spiritum S. eſſe adorandum*, & poſtulabat ab Auguſtino teſtimonia illius rei, teſte ipſo Auguſtino lib. 3. contra Maxim. cap. 3. *Da, inquis, teſtimonia ubi adoratur Spiritus Sanctus.* Et quidem poſtulabat ſibi id probari in terminis. Nam poſtquam Auguſtinus id ei per evidentem conſequentiam oſtendiſſet, non acquieſcebat; *ſed da*, inquiebat, *teſtimonia ubi adoratur Spiritus Sanctus.* Cui merito reſpondet Auguſtinus id quod nos Arminianis: *Quaſi non ex iis quæ legimus, aliqua etiam quæ non legimus intelligamus.* Et quemadmodum Arminiani hîc; ita ſibi quoque Ariani in eâ re contradicebant. Nam ipſi Ariani utebantur vocibus & phraſibus & proponebant dogmata quæ in terminis non exſtant in Scripturâ, ſed quæ per conſequentiam è Scripturâ dicebant ſe elicuiſſe, & quidem interdum verè. Hoc etiam Auguſtinus poſt alios priores Patres Arianis objicit

objicit ibidem: *Sed tu*, inquit, *ubi legiſti Patrem Deum ingenitum vel innatum & tamen verum eſt?*

2. Hactenus ex verbo Dei creditum eſt, non eſſe niſi unam veram fidem ſeu certitudinem, quæ verbo Dei nititur; nimirùm eam qua credenda ſunt omnia dogmata vera, ſeu neceſſaria ſeu non neceſſaria, ſive controverſa ſive non controverſa; & huic veræ fidei ſeu certitudini huic quæ verbo Dei in hoc aut illo dogmate conformis eſt, falſum ſubeſſe non poſſe, quia *venit ex verbo Dei* ut loquitur Apoſtolus Roman. 10. 17. adeòque eam non poſſe everti aliis rationibus melioribus. At Arminiani docent, fidem ſeu certitudinem quæ verbo Dei nititur, duplicem eſſe; unam *fallibilem* vocant, quam etiam *certitudinem humanam* nominant, quam volunt locum habere in controverſis dogmatis; alteram *infallibilem* quam *certitudinem divinam* vocant. Huic falſum ſubeſſe non poſſe ajunt, & eam includere abſolutam infallibilitatem, ac locum habere dicunt in iis quæ extra controverſiam ſunt. Ita enim ibid. pag. 47. *Fidem enim ſeu certitudinem humanam non eam vocant Remonſtrantes, quæ rationibus nititur oppoſitè ad fidem ſeu certitudinem quæ verbo Dei nititur. Quis enim adeò ineptiat, qui vel primoribus labris ſacra guſtavit? Sed fidem vel certitudinem humanam vocant, quæ rationibus ex ipſo verbo Dei petitis nititur, & quidem eam quæ formidinem contrarii excludit, ſed quibus tamen falſum ſubeſſe poteſt, etſi is in quo ea certitudo eſt, iis falſum non ſubeſſe perſuaſum ſibi habeat. Hanc à certitudine divinâ diſtinctam volunt, cui ſubeſſe falſum non poteſt, quæque abſolutam infallibilitatem includit, qualis exempli gratia eſt, qua quis ex Scripturis ſcit, Deum prohibere idololatriam, perjurium, furtum, adulterium &c. Chriſtum in mundum veniſſe & voluntatem Dei nobis revelaſſe, ex mortuis reſurrexiſſe, & in cœlo ad dextram Dei poſitum ſuper omne nomen quod nominatur in hoc ſeculo & in futuro &c. Hanc enim nemo negare, nemo in dubium vocare poteſt, neque unquam quiſquam negavit aut in dubium vocavit, qui verbum Dei in V. & N. Teſtamento expreſſum pro vero Dei verbo habet.*

habet. At certitudo illa quæ humana dicitur Remonſtrantibus rationibus quidem nititur ex verbo illo ductis, ſed talibus quibus alii rationes alias ex eodem verbo deductas opponunt, ac proinde quæ adeò infallibilis non eſt, quin aliis & melioribus rationibus everti poſſit. Quam diu id non fit, tàm diu firmiter conſtanterque rationibus illis quas optimas eſſe credit Chriſtianus, adhæret, eo tamen animo, ut, ſi meliores occurrant, iis cedere paratus ſit; certus hoc ſufficere apud Deum, ſi, quas adhibitâ omni diligentiâ in conſcientiâ optimas judicat, iis adhæreat, & quia earum conſequentia non omnibus evidentiſſima eſt, alias audire & ſequi paratus ſit. Vlterius ire non poteſt in controverſis, & ut ultra quicquam ab homine poſtuletur ratio non ſinit. Hi ſunt termini, quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum. Ita Arminiani. Quis non videt eos hoc loco reverà docere homines fluctuare in dogmatibus omnibus controverſis. Si enim falſum iis ſubeſſe poteſt, ſi poſſunt fortaſſis everti melioribus rationibus: certè ſemper fides illorum conjunctâ eſſe debet cum hac cogitatione: *Si quis* FORTE *meliora oſtendat &c.* prout loquuntur & docent Apolog. Exam. Cenſ. præfat. fol.7.a. *Nihil conſtanter firmiterque credendum eſt in rebus ejuſmodi de quibus controverſia incidit inter doctos & pios* (quales ipſis ſunt Hæretici Sociniani) *niſi cum hac lege ut ſi quis* FORTE *meliora oſtendat, cedere ſemper paratus ſis:* Et tamen audent illi dicere, hoc non eſſe dubitare: quod profectò falſum eſſe vel infans viderit. Nam τὸ FORTE ab homine pronunciatum, omninò dubitantis eſt. Obſerva etiam quod dicunt ibi *Sufficere apud Deum ſi quas &c.* Sic igitur juxta Arminianos ſufficit apud Deum Antitrinitariis, quòd adhærent blaſphemæ doctrinæ ſuæ, quia eam optimam eſſe credunt &c.

3. Credidit etiam hactenus Eccleſia non licere contemnere, explodere, extenuare dogmata ulla vera ſeu qua ſecundum Scripturas ſunt, aut ea oppugnare & negare, utut controverſa ſint; ullo prætextu quicunque tandem ille ſit. At Arminiani præter diverſos modos, quibus ut oſtenſum Arcanorum lib. 1.

cap. 8

cap.8 p.74.75.76.77.78.79. in Apologiâ docent contemnere, exſibilare & explodere dogmata vera controverſa (ad quam rem ſibi à me objectam ne verbulo quidem reſpondent) etiam poſt Apologiam ſuam editam in Reſp. ad Excerpta Cll. DD. Proff. Leyd. etiam aliis variis modis & prætextibus ea docent explodere & contemnere. Sic enim ſimpliciter dicunt aliud eſſe verum cultum Dei, aliud cultum de quo quæritur an ſit verus cultus Dei: Ita enim in Reſponſione illâ p. 34. *Aliud eſt arcere quæ perturbant verum Dei cultum, aliud arcere quæ perturbant cultum de quo quæritur an verus Dei cultus ſit?* Hoc non ſimpliciter verum eſt: interdum enim unum idemque eſt; nam & verus Dei cultus in controverſiam ab adverſariis vocatur.

Alius modus eſt: dum dicunt ibidem p. 83.84. *Singulæ controverſiæ totidem ſcopuli ſunt, in quos niſi admodum circumſpectus ſis non minus facilè quàm periculoſè impingitur.* Quod ſi verum eſt, tum controverſa vera fugienda ſunt: nam ſcopuli fugiendi ſunt & ad eos non eſt accedendum.

Alius modus eſt: dum dicunt ibidem p. 20. 21. *A Reformatione circa non neceſſaria recedere nihil habet in ſe culpâ aut criminatione dignum, etiamſi fortè ſine Iuſtiſſima cauſa aut per errorem ab illa recederetur, dum modò Reformatio circa neceſſaria conſtanter retineatur & in reliquis mutua tolerantia ſanciatur.* Si hoc verum, quis igitur finis novitatum? Item quid fiet de myſterio Trinitatis non ſolum prout eſt in controverſia ſeu oppugnatur à Socinianis &c. ſed etiam prout eſt extra controverſiam poſitum? nam & hoc in animo ſuo non [illegible] niani pro neceſſario ad ſalutem, ut oſtenſum eſt P[illegible] lib.1.c.4.

Alius modus eſt, dum docent licere negari, quod non poteſt probari locis quorum interpretatio extra controverſiam ſit. Eo enim prætextu negant Peccatum Originis in eadem Reſp.p.98. Dicerant Theologi Orthodoxi, Remonſtrantes dum negant peccatum Originis, audacter ſe Scripturæ & totius Eccleſiæ conſenſui opponere. Reſpondent illi: *Atqui Scripturam quod*

 attinet

attinet, detur unus ex Scriptura locus, qui ſine controverſia id quod Doctores volunt aſſerit, & non dubitabunt Remonſtrantes audaciæ ſuæ ſi qua eſt, culpam agnoſcere & deprecari. Quid igitur fiet etiã de cęteris dogmatis veris controverſis; quandoquidẽ nullus ferè locus ſcripturæ eſt quẽ non errantes aut olim aut nunc etiã depravârint?

Alius modus conſiſtit in prætextu difficultatis omnium controverſiarum & laboris qui circa eas earumque terminos impendendus eſt; nec non in variarum opinionum prætextu circa eaſdem: *Longo ſtudio,* inquiunt pag. 8; *pertinaci labore, indefeſſâ contentione ingenii opus eſt ut termini & terminorum propriæ definitiones rectè intelligantur; & cùm jam intelliguntur ad mentem cujuſque Doctoris, annus eſt ut quæ circa eas moventur controverſiæ, non dico ſolidè dijudicentur, ſed accuratè pervideantur.* Et p. 99. *Tot enim ac tàm variæ ſunt de peccato Originali definitiones, ut incertum ſit quid peccatum Originale ſit, aut in quo formalis ejus ratio conſiſtat.* Certè hac ratione via egregia ſternitur ad contemtum ipſarum Scripturarum; prout experientia teſtatur in Iuliano Apoſtata, qui prætextu difficultatis & varietatis opinionum circa ſenſum illius adeòque circa controverſias fidei ipſas Scripturas contemnere didicit. Etenim teſte Socrate ἀγανακτεῖ, ἐφ' ᾧ μὴ πάντες τὴν αὐτὴν περὶ τῶν ἱερῶν γραφῶν ὑπόνοιαν ἔχουσι *ægrè fert Iulianus,* inquit Socrates, *quod non omnes eandem ſententiam circa ſcripturas habent.* Sed rectè reſpondet ei Socrates: οὐκ ἔδει τοσοῦτον καταδραμεῖν τῆς ἁπλότητος τῶν πολλῶν, οὐδὲ περιφρονῆσαι δι᾽ ἐκείνους [illegible] ων γραμμάτων· οὐδὲ μισῆσαι τὰ καλως [illegible] νοούμενα ὅτι μὴ [illegible] ουν· *ſed non decebat multorum ſimplicitatem* (ſeu [illegible]) *tantopere inſectari, neque ob eorum* [illegible] *ipſas ſacras literas* [illegible] *, atque adeo ſenſus ſententiaſque præclaras in illis comprehenſas odiſſe ideò quod non omnes* [illegible] *eas intelligunt adeoque inter ſe non conſentiunt.* Judica nunc lector, quantum hi Apoſtatæ Arminiani abſint à profanitate & impietate Iuliani Apoſtatæ. Ille prætextu varietatis opinionum circa ſenſum Scripturarum adeoque etiam prætextu difficultatis e[illegible]

tis earum ipſas Scripturas contemnebat: hi eodem prætextu verum ſenſum controverſum Scripturæ contemnere docent. Quæſo quid eſt Scriptura abſque ſuo vero ſenſu, utut in controverſiam vocetur ab Hæreticis & aliis errantibus?

Huicmodo ſimilis eſt, quo prætextant Arcana ſcrutanda non eſſe. Ita enim ibidē p. 88. *Utinam hoc non in hoc tantum argumento* (de omnipræſentiâ Dei) *Sed in compluribus aliis animadverteret Christianus orbis! Diſputamus penè de omnibus ſine diſcrimine & ſine hæſitatione. Arcana omnia ſcrutamur, neque quicquam impervium putamus ingenio noſtro. Nuſpiam diſputando, quærendo, inveſtigando conſiſtimus. Et quid fit? ubi diu multumque diſputavimus de iis quæ ſupra nos ſunt, plures Soli nubes atras denſaſque objectas videmus, quàm diſcuſſas. Simplex & nuda veritas involuta jacet pannis iſtis ſubtilitatum, ut non appareat & quod dolendum maximè fit, tandem curioſitatis nimiæ præmium ſit ſtultitia aut* ἀϑεότης. Hic prætextus etiam illegitimus eſt. *Nec enim* (ut Auguſtini verbis utar) *ideò negandum eſt quod apertum eſt; quia comprehendi non poteſt quod occultum eſt*, lib. 2. de bono perſever. c. 14. Apertum autem & non occultum eſt etiam dogma verum controverſum in verbo Dei revelatum.

Alius modus eſt, dum vera dogmata controverſa, quale eſt illud de omnipræſentiâ ſeu immenſitate Dei ſecundum eſſentiam, inter difficiles nugas referunt & epicedium illis ſcribendum eſſe contendunt, eo prætextu quod deceat nos ſimplice & clarâ Scripturarum veritate contentos eſſe. *Quanto ſatius faceremus* (ſubdunt immediate præcedentibus verbis p. 88.) *Si ſimplice ac clara Scripturarum veritate contenti Epicedium ſcriberemus iſtis difficilibus nugis, ac proinde etiam in hoc de quo agimus argumento, Deum ubique eſſe agnoſceremus quod paſſim Scriptura clamat; de modo autem contendere de quo Scriptura nuſpiam vel verbulo meminit ſupervacaneum putaremus.* Vide pietatem ſcilicet horum hominum: Quaſi vero controverſa vera dogmata quale eſt illud de omnipræſentia Dei ſecundum eſſentiam ſeu

immenſitate & infinitate illius credit tota Eccleſia nugæ eſſent, aut non clarè in Scripturâ revelata; aut quaſi quia Scriptura non iiſdem literis & ſyllabis illud dicit, ideò illius ne verbulo quidem meminerit.

Alius modus in eo conſiſtit; quòd controverſa vera dogmata vocant quæſtiones de modis rerum; ut ibidem etiam dicunt ut vidimus: *De modo autem omnipræſentiæ contendere de quo Scriptura nuſpiam vel verbulo meminerit ſupervacaneum putamus.* Hinc vocant controverſa vera dogmata modos rerum propter quos totus orbis Chriſtianus in diſſenſionem abierit, & contendunt indignum eſſe, cùm de re conſtet de modo contendere. Sic enim ibidem p. 51. 52. occaſione controverſiæ fundamentalis quæ nobis intercedit cum Anabaptiſtis de naturâ humanâ Chriſti: *Quomodo homo natus ſit, an ex Maria matris ſuæ ſubſtantia, an in matre quidem ſuâ ſed non ex matre; non pertinet ad rem ſed ad modum rei. De modo autem, imprimis cùm decidi non poſſit niſi auctoritate humanâ quis contendendum anxiè putet?* item: *omnes quæ in Eccleſiâ Chriſti lacrymæ ſunt, hinc fluunt, quod non res tantùm ſed rerum omnium modos phyſicis ſæpè aut Metaphyſicis hominum aut Scholarum poſtulatis nixos ad ſalutem neceſſarios faciamus, & capitale cenſemus quicquam vel minimum ignorare.* In quibus omnibus ne unicum quidem verbulum verum eſt.

Alius modus eſt, dum vocant ea dogmata, ut v. g. quæ Antitrinitarii oppugnant, phraſes & terminos humanos, qui [illegible] exterminandi ſint. Ita enim ibidem p. 83. *At licet rem (loquuntur de myſterio Trinitatis) enunciari non poſſe, niſi ope terminorum quorundam Remonſtrantes fateantur, tamen illorum ipſorum humanorum terminorum credendorum neceſſitatem* [illegible] *credendarum neceſſitate diſtinguendam eſſe* [illegible] *ſtant: & qui ſaniores ſunt terminos omnes* [illegible] *præter illos quos ipſe Spiritus Dei dictavit, & quibus ille* [illegible] *hujus myſterii majeſtatem enunciavit.* Similiter p. [illegible] in eandem ſententiam deblaterant. Id quod circa hoc myſterium ordina-

ordinarium eſt Antitrinitariis, non modernis ſolùm manifeſtatis & occultis ſed & veteribus. Ita enim Arianos τὸ ὁμούσιον eodem prætextu unà cum aſſertoribus ipſius ſub Conſtantio & Valente exterminare conatos fuiſſe notius eſt quam ut ex antiquitate Eccleſiaſticâ probare id neceſſum ſit.

Hinc fluit alius modus & prætextus, dum quando dogma aliquod contra Socinianos Eccleſia tenet non agnoſcunt verum eſſe; dicunt ſe id facere ſolâ reverentiâ erga ſcripturæ verba. Ita enim ibidem p. 94. *Quòd interim Remonſtrantes pœnam iſtam ſenſus ſive cruciatuum infernalium verbis divinæ comminationis comprehenſam aut Adamo denunciatam eſſe aſſererere non audeant, id nullâ contradicendi libidine aut novitatis affectatione, ſed ſolâ divinæ ſententiæ reverentiâ fieri profitentur. Libenter equidem, & magna cum Religione Scripturæ ſacroſanctæ verbis inſiſtunt &c* Hic merus prætextus eſt. Vera enim cauſa eſt, quod Sociniani intus & in cute ſunt: ſed non audent omnia dogmata Socini jam quidem apertè profiteri; quare à dubitatione incipiunt & ἐποχῇ, ut oſtenſum multis exemplis Arcan. lib. 1. c. 9. par. 1.

Alius modus eſt, dum dogmata Controverſa vocant problemata quorum ſolutio differenda ſit in alteram vitam. Ita enim ibidem p. 89. *Hoc demum eſt eruditionis Theologicæ, nihil ultra quàm ſacris literis eſt proditum* (quale ipſis non eſt myſterium Trinitatis prout oppugnatur à Socinianis, item doctrina Orthodoxa de immenſitate Dei, & alia multa dogmata quæ Sociniani oppugnant) *definire. Multa problemata nunc agitantur, quæ multò magis conveniebat in illud rejicere tempus, cùm ſublato ſpeculo videbimus Deum de facie ad faciem. Inter hæc eſt quod hîc diſceptatur de divinæ omnipræſentiæ modo.* Ubi falſum eſt, eſſe quæſtionem tantum de modo omnipræſentiæ Dei. Eſt enim quæſtio primariò de attributo eſſentiæ divinæ. Quæſtio quippe eſt de ipſa Dei eſſentia, anne infinita & immenſa ſit, an vero finita, ſeu cœlo ſolo aut certo illius loco circumſcripta ſive definita.

finita. Et quod dicunt differenda eſſe iſta dogmata in illud tempus cum ſublato ſpeculo videbimus Deum de facie ad faciem; nimis quàm periculoſum eſt; quandoquidem Arminiani inter ea dogmata referunt etiam quædam, ſpeciatim dogmata Orthodoxa de Trinitate quæ blaſphemi Hæretici Sociniani oppugnant; quorum dogmatum cognitionem qui rejicere vult in alteram vitam, certè Deum non videbit de facie ad faciem. Quare caveat ſibi unuſquiſque à pernicioſiſſimâ Theologiâ horum hominum.

Alius modus eſt, dum prætexunt curioſas, impias, profanas, quæſtiones ſeu nugas, quarum occaſionem quidam arripiunt malè & ſua non autem verorum dogmatum culpa impii homines; quibus dicunt obicem ponendum eſſe, non definiendo dogmata illa. Ita faciunt circa eandem controverſiam p. 88. *Deinde*, inquiunt, *tutiſſimum eſſe ne definiatur, quia ſic infinitis & pene inextricabilibus quæſtionibus & diſceptationibus obex ponitur, quibus multorum ingenia alioqui feliciſſima & ad optima quæque nata veluti torrentibus quibuſdam aut obruuntur aut abripiuntur in ſalebras dubitationum, hæſitationum, ac tandem in ipſum impietatis gurgitem, id eſt divinæ Majeſtatis vilipendium.* Similiter ob eandem cauſam non agnoſcunt Arminiani reſurrectionem horum ipſorum corporum, & dicunt non eſſe de eâ re quicquam definiendum: *Hac ratione,* inquiunt p. 122. *veluti uno ictu anſa præciditur innumeris non minus difficilibus quàm curioſis ineptisq. quæſtionibus &c.* Quaſi verò obex ſit ponendus aut anſa præcidenda uni profanitati & impietati per alteram, h. e. per ſuppreſſionem & rejectionem veritatis divinæ in Scripturâ revelatæ quam Sociniani, ſpeciatim Arminiani, nolunt videre aut videre non poſſunt ob cæcitatem mentis ſuæ. Nequaquam vero: ſed obex ponendus eſt iis curioſis & impiis aut ingeniis aut quæſtionibus, revocando homines ad auctoritatem Scripturæ ultra quam non eſt ſapiendum, & ultrà quam non ſapiunt qui etſi aliquid non ῥητῶς in Scripturâ extet, tamen rem in ea re-

verâ

vera traditam docent ac profitentur. Nec certè impietas monſtroſorum quorundam & profanorum ingeniorum præjudicare debet veritati divinæ in Scripturis propoſitæ, ſeu dogmatis quæ ſecundum Scripturam in Eccleſiâ recepta ſunt.

Ultimus denique & decimus tertius modus eſt, dum prætexunt controverſias tandẽ reſolvi in diſputationes Philoſophicas. Ita faciunt circa controverſiam illã eandem quę nobis intercedit cum Anabaptiſtis ut paulò ante vidimus & ex verbis allegatis patet. Similiter, quod diligenter obſervandum eſt, dicunt Controverſiam de libero arbitrio (ad quam tanquam controverſiam *primam & generaliſsimam* reducunt in præfatione Apologiæ ſuæ f. e. 2. b &c. reliquas omnes controverſias quas moverunt Reformatis) tandem deſinere in litem philoſophicam aut jurgium Metaphyſicum: poſtquam enim ibid. p. 120 dixiſſent quęſtionem de obedientiâ eorum qui miraculoſè convertuntur, & Angelorum beatorum, anne ſit obedientia propriè ſic dicta, non poſſe decidi nec per Scripturas &c. nec per ſcholarum & Academiarum regulas *has enim adhuc laborare circa libertatis arbitrii definitionem, ſine cujus tamen exactâ cognitione*, inquiunt, *quæ obedientia propriè dicta obedientia ſit intelligi non poteſt: obedientia enim propriè dicta obedientia eſſe non poteſt, niſi libera ſit: videantur tantùm ea quæ inter Pontificios & Calviniſtas de eâ diſputantur.* Poſt hæc inquam, addunt: *Ac Doctores hos* (loquuntur de Cll. Proff. Leydd.) *quod attinet, ii in Synopſi ſuâ Libertatem ſic definiunt, ut pudeat ac pigeat eam legere aut referre. Labyrinthus eſt. Neſcis quid dicant aut ſibi velint, ut alibi id à nobis demonſtratum eſt. Quocirca ut controverſia hæc in litem Philoſophicam aut Metaphyſicum jurgium tandem desinat neceſſe eſt.* Judica nunc, optime Lector, quâ conſcientiâ hæc factio auſa fuerit Belgium eâ controverſiâ initio turbare, quandoquidem, ut hîc profitentur, ea tandem in litem philoſophicam aut Metaphyſicum jurgium neceſſariò deſinit? Judica etiam annon hi homines *ἀυτοκατάκριτοι* ſint etiam in hac parte, &

ſententiam contra ſe ipſos dixerint; juxta quam Dominus, ni reſipiſcant, aliquando ipſis dicat: Ex tuo ore te judico, ſerve improbe. Judicate quoque, optimi viri quos hi homines fraudulenter in ſuam ſententiam perduxêre, & à doctrina noſtra circa quinque articulos abduxêre, annon cauſam omnem habeatis cum deteſtatione valedicendi iſtis hominibus? Denique judicet unuſquiſque vel ex iis quæ in hoc capite circa tredecim illos modos &c. diximus; in quem ſtatum & formam homines iſti Religionem Chriſtianam reducere moliantur?

CAP. IX.

Alia Arcana nova Arminianorum circa ἐποχὴν ſeu dubitationem eorum & varia ludibria quibus orbi illudunt. ex cap. 9. Vindic. lib. 1.

1. Detegitur ludibrium ſectæ Arminianæ circa poſſibilem diligentiam & prudentiam, quam requirunt circa auctoritatem verbi divini, libertatem prophetandi & communionem Eccleſiæ. 2. Item circa Evidentem & omnibus obviam veritatem. 3. Arminiani dicunt ſe profiteri doctrinam de cultu divino, cuius ne hilum quidem aut indicium ullum in ſcripturâ eſſe ipſi quidem dicunt. 4. Arminiani profitentur ſe adhærere doctrinæ quam tamen variis modis directè oppugnant. 5. Exempla alia quædam ἐποχῆς ſeu dubitationis Arminianorum circa dogmata quæ Eccleſia contra Socinianos aſſerit.

1. INtelleximus ex Arcanorum parte prima, & videbimus porrò in quarta parte, Arminianos docere verbum Dei neminem obligare niſi intellectum & quidem ſic prout omni poſſibili

poſſibili diligentiâ & prudentiâ intelligendum eſſe quis credit; & hanc diligentiam & prudentiam ſummam fundamentum etiam ponunt libertatis prophetandi, tolerantiæ mutuæ, & communionis ſpiritualis. Contrà vero evidentiam, ſeu evidentem veritatem, imò evidentiſſimam eſſe eam dicunt, quæ omnibus obvia eſt qui ſaltem ſanum ſynciput habent, adeoque quam unuſquiſque videre poſſit; quibus jam addunt in vindiciis hanc conditionem, modò mediocrem ſaltem adhibeat diligentiam. Hic operæ precium eſt, paucis indicare quæ ſit illa ſumma diligentia & prudentia; item, quæ ſit illa ſumma evidentia, ſeu evidens & omnibus obvia veritas. Unde patebit hos homines illudere toti orbi, & pro arbitrio fingere diligentiam, prudentiam, evidentiam prout exiſtimant cauſæ ſuæ id expedire.

Diligentia igitur illa & prudentia omnis poſſibilis ſive ſumma quæ ſit, patet ex collatione Vindiciarum, ſpeciatim capitis noni lib. 1. cum Apologiâ & Reſponſione ad Excerpta DD. Proff. Leydd. Eſt igitur diligentia & prudentia illa ſumma talis, qualis eſt ſumma diligentia & prudentia, quam Arminani ſe adhibuiſſe dicunt, ut reperirent & viderent in Scripturâ ſacrâ *Spiritum S. eſſe adorandum*, ſpeciatim exemplum aut mandatum illius; & tamen illud in Scripturâ deprehendere ac reperire non poſſe; imò ſe de Spiritu S. adorando ne hilum quidem in Scripturâ reperire poſſe. Ita enim cap. allegato Vindic. p. 50 dicunt ſe *antecedens hujus argumenti: Spiritus S. eſt adorandus, Ergò eſt Deus, nec præcepto nec exemplo ullo demonſtrare poſſe ex Scripturâ.* Et capite octavo p. 46. dicunt ſe *non poſſe illud firmiter & ſolidè ex Scripturâ demonſtrare* ut vidimus capite præcedente §. 1. Similiter in Reſp. ad Excerp. p. 50. ajunt ſe *probationem antecedentis iſtius reperire in Scripturâ non poſſe, quia nec mandatum nec exemplum nec indicium aliquod adorati Spiritus S. manifeſtum, imò ne quidem indicium, ita ut vox* manifeſtum *omittatur, reperire poſſint.* Et tamen ajunt ſe ſummo ſtudio in id annixos eſſe. item,

 adhi-

adhibuiſſe omnem diligentiam. Sic enim in eâdem Reſp. ad Exc. ibidem ajunt: *Deinde eſto, dixerint Remonſtrantes indicium nullum eſſe, & vox Manifeſtum omittatur, dent itaque doctores indicium aliquod ex Scripturis unde id liqueat. Nihil equidem gratius fecerint Remonſtrantibus, qui illud hactenus reperire aut deprehendere, licet ſummo ſtudio adnixi, non potuerunt: Neque enim id propterea negant à ſe repertum eſſe, quia illud ſtudio ac deditâ operâ obſervare noluerunt, ut ſic dogmatis de Trinitate auctoritatem elevarent, ſed quia id adhibitâ omni diligentiâ obſervare non potuerunt; gratulaturi ſibi ſi iſtud reperirent, aut ab aliis repertum offerri ſibi viderent.* Quis non videt hos homines orbi illudere? Quid enim? Eſtne hæc ſumma diligentia, an verò potius ſumma & affectata negligentia, non poſſe reperire in Scripturâ mandatum de adorando Spiritu S.? Ipſi Arminiani non negant in Scripturâ haberi hoc mandatum *Dominum Deum tuum adorabis*; ex alterâ parte profitentur in vindiciis loco alleg. p. 50. ſe in confeſſione aliquot argumentis oſtendiſſe *Spiritum S. eſſe Deum.* Quid jam clarius, quid facilius, quam, cum in Scriptura legas *Deum eſſe adorandum*; item *Spiritum ſanctum eſſe Deum*, quid inquam facilius cognitu eſt quam Scripturam ſacram præcipere *Spiritum S. igitur eſſe adorandum*?

Eſt diligentia & prudentia talis, qualem Arminiani tribuunt Socinianis & Anabaptiſtis circa finem Baptiſmi, & quâ dicunt eos non poſſe deprehendere finem Baptiſmi eſſe eum quem verbum Dei docet, ita ut ipſi Arminiani dicant Socinianos in eâ re errare. Ita enim Apolog. c. 247. a. dicunt *ſe toto animo abhorrere à rigore iſtorum hominum, qui ſi fortè probus piuſque, poſt adhibitam omnem quam prudenter potuit diligentiam, non poſſit credere aut ab animo ſuo impetrare ut credat, Baptiſmum alii fini ſervire quàm ad teſtandum vitæ malè antè actæ derelictionem & vitæ melioris inchoationem* &c. *idcirco eos intolerabiles & anathemate dignos cenſent.*

Eſt diligentia & prudentia talis quâ dicunt Pontificios uti & tamen

tamen non aſſequi veritatem, ſed dogmata ſua (quæ ipſi Arminiani dicunt eſſe idololatrica & falſiſſima) pro neceſſariis habere, & nihilominus in iis ſuis erroribus etiam pertinaciſſimos ſalvari. Ita enim vindic. lib. 2. c. 80. *Credere malim ſi qui forte in mediis tenebris pontificiis iſtam ſcientiæ exactæ lucem non habuerunt, ut inter neceſſaria & non neceſſaria dogmata accuratè diſtinguere potuerint (quales an unquam martyrio affecti ſint, abſit ut ego adſeram) & tamen ſanguine ſuo eam quam, adhibitâ omni diligentiâ & curâ, judicabant neceſſariam veritatem eſſe, obſignarunt; iis clementiſſimum ac benigniſſimum Deum iſtam eorum ignorantiam condonâſſe ob ſolam iſtam innocentiæ conſcientiam & bonæ conſcientiæ amorem quem vitæ ſuæ ad gloriam Dei propoſuerunt. (Magnus enim divinæ gloriæ, veritatis, & bonæ conſcientiæ amor fuerit neceſſe eſt, quem nec atrociſſimæ mortis metus, nec vitæ huius tranquillæ ac commodæ ſpes potuerit ſuffocare) ut hoc, inquam ego, credere malim, quàm ut eos cœleſti hæreditate & æternæ vitæ præmio indignos judicatum iri adſeram.*

Denique diligentia talis, quam etiam ſecundum Arminianos habent Hæretici quos *voluntariâ hæreſi* laborare dicunt & docere ac profiteri hæc execranda dogmata *Deum eſſe auctorem peccati*; *Bona opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem*. Ita enim lib. 2. c. 8. p. 156. cum dixiſſent eſſe *Hæreſin quandam voluntariam* e. g. eorum qui credunt & publicè profitentur *Deum eſſe auctorem & cauſam peccati; Bona opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem*, & eos Hæreticos in duo genera diſtinxiſſent, dicunt p. 157. prioris generis Hæreticos eſſe poſſe ſine negligentiâ aut aliâ culpâ; *Diligenter ac ſeriò*, inquiunt, *diſcrimen faciendum eſſe, an videlicet primi erroris noxii auctores ſint, an verò in erroribus nati ſint atque educati, ita ut nec veritatem cognoverint unquam, nec occaſionem eam agnoſcendi ullam talem habuerint, ut* NEGLIGENTIÆ, *perverſitati, pertinaciæ aut* CULPÆ *eorum deputari poſſit, quod eam non agnoverint.*

2. Porrò quemadmodum doctrinâ ſuâ de diligentiâ & pru-

dentiâ requiſitâ ad obligationem quâ verbo Dei obſtricti tenemur, & ad communionem ſpiritualem &c. orbi illudunt : ita idem faciunt doctrinâ ſuâ de Evidente veritate ſenſuum Scripturæ & dogmatum fidei. Eſt quippe Evidentia talis, qualem tribuunt ſuæ novæ doctrinæ, quâ ſtatuunt opinionem Socinianorum & Anabaptiſtarum *de jure gladii* non eſſe impiam; cum tamen ipſi fateantur eam adeò pernicioſam eſſe, ut ſi ea locum habeat *actum ſit de auctoritate Magiſtratus, & pauci ſcurræ poſſint totam ſocietatem humanam evertere,* ut oſtendi ipſorum propriis verbis Arcan. lib. 2. c. 5. par. 1. Jam, quia ibi dixeram eam doctrinam Socinianorum, quâ ſtatuunt non licere Magiſtratui pœnâ capitali uti, impiam eſſe. Reſpondent illi vindic. lib. 2. c. 5. p. 114. *Antecedens hoc* PALPABILITER *falſum eſt.* Eſt evidentia talis, qualem tribuunt doctrinæ ſuæ de hæreſi, quâ negant poſſe hæreſin eſſe blaſphemiam propriè ſic dictam. Ita enim vindic. lib. 2. c. 9. p. 177. cum propoſuiſſent ſuam illam egregiam doctrinam; ſubjiciunt: *Neſcio an Sol clarius in meridie luceat quàm hæc veritas.* Et ſtatim quoque vocant *apertam veritatem,* adduntque, quia id ego nego cum omnibus cœtibus qui Deum in tribus perſonis adorant; *Fieri vix poteſt, quin in manifeſtam falſitatem adeòque νοῦν ἀδόκιμον* (h. e. ſenſum reprobum) *incidant, qui apertam veritatem oppugnant.*

Eſt evidentia talis, qualem tribuûnt blaſphemæ ſuæ doctrinæ, qua ſtatuunt Iudæos hodie nec non Apoſtatas à Chriſtianiſmo ad Iudaiſmum, colere verum Deum, item unum & verum Deum Iſraëlis; etſi non colant Deum Patrem, Filſum & Sp. S. extra quem unum trinum Deum non eſt Deus, ſed contrà directè Chriſtum blaſphement prout à Iudæis fieri ipſi Arminiani in Apologia fatentur; adeoque eos pœnâ, quæ lege divina & humana conſtituta eſt in Apoſtatas qui à Chriſtianiſmo ad Iudaiſmum deficiunt, afficiendos non eſſe, imò nullo planè corporali modo coërcendos. *Nam legem illam,* (inquiunt lib. 2. vindic. c. 9. p. 180. & loquuntur de lege veteris Teſt. contra blaſ-

tra blaſphemos latâ) *non eſſe latam in eos qui ad verum Deum populi Iſraelitici deficiunt, aut qui deficientes à Religione Chriſtianâ non tamen deficiunt ad falſorum & alienorum Deorum cultum, ſed in unius & veri Dei Iſraëlis cultu perſeverant, adeò clarum eſt, ut Solis radio ſcriptum ſit.* Item: *ſed quid ego cum homine contra Solem loquente diſputo?*

Eſt evidentia talis, qualem tribuunt opinioni ſuæ Socinianæ, Deum in Paradiſo Adamo comminatum quidem mortem æternam, ſed non talem quæ ſit pœna ſenſus ſeu cruciatus & tormentorum, adeoque ſtatuunt eſſe mortem ſeu condemnationem æternam inobedientibus denunciatam quæ ſit ſine tormentis. Ita enim Apol. c. 4. §. 3. f. 57. a. b. *Nuſpiam enim pœna hæc Adamo aut denunciata aut inflicta legitur: ſententiam Adami vide & res liquebit luce clarius.*

Eſt evidentia talis, qua etiamſi, ut loquuntur vindic. lib. 2. c. 10. p. 194. *id quod neceſſarium eſt ad ſalutem, ita claris ac perſpicuis verbis traditum eſt, ut conſequentiâ nullâ opus ſit ad credendum quod ſit neceſſarium*; item, *etiamſi neceſſariæ conſequentiæ tàm evidentes & claræ ſint ut Atheus eas negare non poſſit, niſi hominem exuat*, qualis eſt illa qua infertur ſcelera quævis excludere regno cœlorum; denique etiamſi illæ neceſſariæ ad ſalutem conſequentiæ tales ſint ut *per ſe evidentes & claræ ſint omnibus & ſingulis hominibus*, qualem dicunt eſſe doctrinam oppoſitam idololatriæ Pontificiæ: tamen credunt hominem negantem ea evidentiſſima ac neceſſaria dogmata ſalvari poſſe. Ita enim ibidem p. 195. inquiunt. *Non eſſe difficile obſervare, eos qui iſta negant, non negare ea quòd rationibus aut argumentis ex ſcripturâ aut aliunde petitis ea falſa eſſe convicti ſint apud animum ſuum, nedum ut ea falſa eſſe demonſtrare poſſint, ſed quòd ea falſa eſſe in animum ſuum voluerint aut velint inducere. Hinc arma iſtorum hominum non ſunt validæ rationes, ſed ſophiſmata quædam elaborata, auctoritates, præjudicia, & nihil niſi topica aut artificialia argumenta, quæ vitrea cùm ſint levi negocio frangũtur aut diſſiliunt.*

Quis

Quis tamen affectus in cauſâ ſit incertum eſt & Deo relinquendum. Jam autem ex eo quod incertum ſit quis affectus in cauſa erroris ſive hæreſeos ſit, inferunt, quemadmodum lib. 2. cap. 4. videbimus, Hæretico anathema dicendum non eſſe, imò eum cum iſto ſuo errore ſalvari poſſe.

Eſt denique evidens veritas talis, quam (ut in præſens alia exempla omittam) Arminiani videre non poſſunt; etſi Syllogiſmi perfecti quo veritas illa continetur nec majorem nec minorem nec concluſionem negent; ſed omnia illa fateantur, ut modò vidimus de ſententia eorum circa adorationem Spiritus S. Etenim fatentur hanc majorem Qui eſt Deus eſt adorandus. Fatentur hanc minorem *Spiritus S. eſt Deus.* Denique allegato loco vindiciarum p. 50. fatentur etiam concluſionem: *Spiritum S.* inquiunt, *adorandum eſſe apertè profitentur Remonſtrantes quia Deus eſt.* Fatentur igitur iſthæc omnia, & tamen dicunt ſe hoc quòd *Spiritus S. adorandus ſit* in Scriptura videre non poſſe; item ne hilum quidem de eo in Scriptura exſtare.

Ex his igitur manifeſtum eſt *primò* Arminianos doctrinâ illâ ſuâ de auctoritate Scripturæ, &, quæ eam ſequitur, de Libertate prophetandi & tolerantiâ mutuâ; item de evidente veritate, orbi illudere, & eam non rei veritate metiri ſed pro arbitrio fingere. *Deinde* patet falſum eſſe ex ipſorum hypotheſi propriâ, quod dicunt Evidentem veritatem eſſe eam quam quis mediocri ſaltem adhibita diligentia aſſequi poteſt. Nam dicunt Pontificios omni adhibitâ curâ & diligentiâ tamen non aſſequi veritatem oppoſitam idololatriæ ſuæ, quam tamen veritatem hinc inde in Vindiciis ſuis dicunt evidentiſſimam eſſe. Et ipſi fatentur ſe veritatem eam in Scripturâ videre non poſſe, cujus tamen majorem, minorem, & concluſionem Syllogiſticam, quâ illa exhibetur, ipſi dicunt ſe apertè profiteri. Talis autem veritas profecto evidentiſſima eſt. *Tertiò* patet ex dictis ſpeciatim exemplo Pontificiorum falſum eſſe quod dicunt, *verbum divinum neminem obligare niſi intellectum prout eam omni poſſi-*

mni poſſibili diligentiâ & prudentiâ credit eſſe intelligendum. Pudebitne igitur tandem hos homines quod ita orbi illudere audent? Aut patieturne orbis diutius ſibi illudi ab hominibus, de quibus veriſſimum eſt quod dicitur: *Quod volumus credimus?*

3. Porrò cum omnes nôrint & crediderint hactenus, turpe eſſe ac indignum, eos qui Traditionibus humanis profitentur ſe nuncium miſiſſe, profiteri tamen doctrinam aliquam de cultu divino eſſe, quam ipſi contendunt in Scriptura non exſtare, imò ne hilum quidem vel indicium minimum ejus in illa eſſe. Arminiani contra jam profitentur, aliquid eſſe de cultu divino nimirum *Spiritum S. adorandum eſſe*, ut modo vidimus; & tamen dicunt ſe id *nec exemplo nec præceptò demonſtrare poſſe ex Scripturâ*, item ſe *firmiter & ſolidè probare ex eâ non poſſe*; imò *ne hilum quidem*, item *ne indicium quidem illius in Scripturâ eſſe*, ut in præcedentibus vidimus. Concilient hæc duo. Obſerva tamen in Apologia, Confeſſione & Reſponſ. ad Excerp. eos non profiteri Spiritum S. adorandum eſſe, ſed tantum urgere de ea nihil in Scriptura exſtare. Eſtne hoc profiteri ſimul & ex animo credere Spiritum S. eſſe adorandum; an verò ſimulare tantum doctrinam Orthodoxam de Trinitate revera autem eam negare & intus atque in cute Socinianorum Turcicis blaſphemiis addictum eſſe?

4. Omnes honeſti homines Chriſtianiſmo imbuti ſentiunt, hoc non eſſe adhærere doctrinæ alicui, quam quis oppugnat & variis modis evertere conatur. At Arminiani etiamſi doctrinam receptam in Eccleſia ſecundum verbum Dei de immenſitate eſſentiæ divinæ variis argumentis oppugnent in Apol. c. 2. fol. 42. b. 43. a. item Reſp. ad Excerp. p. 86. 87. 88. 89. dicunt tamen ſe doctrinæ receptæ adhærere. Dixeram, quod veriſſimum eſt, Arminianos in negativam partem magis inclinare. Reſpondent illi cap. 9. Vindic. hujus libri primi p. 49. *Apertè*, inquiunt, *falſum eſt Remonſtrantes in negativam partem magis inclinare. Si dubitas, vide quomodò Remonſtrantes ad marginem*

Apologiæ ſuæ directè contrarium profiteantur &c. Non negare cùm dicunt, ſignificant ſe parti affirmativæ adhærere. Judica, optime Lector, an hoc ſit candidè & ſincere agere in negocio Religionis, an verò ſimulare; & profiteri quidem doctrinam aliquam verbis, re ipſâ tamen eam evertere. Unde patet Arminianos non ſolum in myſterio Trinitatis,ſed etiam aliis dogmatibus fidei ſimulatores eſſe. Sed omnium graviſſimum eſt, quod in myſterio Trinitatis ſimulant veram doctrinam, reverâ autem & ex animo blaphemiis Antitrinitariorum addicti ſunt.

5. Concluſionis loco, quia capite nono par. 1. Arc. lib. 1. (cui capiti hoc nonum ut & nonum Vindiciarum reſpondet) de ἐποχῇ ſeu pyrrhoniſmo Arminianorum egimus; videat qui volet cauſas putidas, ineptiſſimas, & nullâ Scripturâ nixas ἐποχῆς ſive dubitationis eorum de dogmatibus fidei, in Reſponſione ad Excerp. p. 87. 88. 89. & pag. 94. 96. quas brevitatis ſtudio recenſere jam nolo. Et addantur tot exemplis ἐποχῆς quæ à nobis commemorata ſunt Arcan. capite allegato,nec non par. 11. lib 2. c. 3. hæc tria: nimirum quòd profitentur ſe dubitare *de ſtatu animæ poſt hanc vitam ante diem ultimi judicii* & non agnoſcunt doctrinam Orthodoxam Socinianis in eâ re oppoſitam Apolog, c. 19. §. 1. Item quod profitentur ſe malle dubitare, *anne Gentiles ſeu ii quibus Euangelium nunquam fuit annunciatum æternâ morte quæ eſt pœna ſenſus ſint afficiendi*, quàm ſententiam Orthodoxam Socinianis oppoſitam de pœnâ ſenſus Adamo denunciatâ ſequi: ut videre eſt Reſp..ad Exc. p. 95. 96. imò cùm Cll. DD. Proff. Leyd. ipſis objeciſſent ſequi ex eorum doctrinâ Socinianâ, eos homines non reſurrecturos: illi nolunt definire, quod ſint reſurrecturi tales hominos; ſed dicunt: *Quid de iis futurum ſit, Deus novit &c.* Denique dicunt, ut conſtat, ſe dubitare, an *doctrina Trinitatis quàm Antitrinitarii oppugnant, ſit neceſſaria ad ſalutem*. Quæ qualis dubitatio ſit, intelligemus par. IV. Arcan. lib. 1. c. 7. ubi ma-

nifeſtum

nifeſtum fiet eos ita dubitare de neceſſitate iſtius doctrinæ, ut tamen clarè & apertè negent eam neceſſariam eſſe. In ſummâ dubitant de pluribus quam uno & viginti dogmatibus quæ Socinianorum hæreſibus & erroribus oppoſita ſunt, ſeu ab Hæreticis illis oppugnantur. Judica igitur, pie Lector, quid mentis habeant; & quam Religionem apertè profeſſuri eſſent ſi auderent.

CAP. X.

Arcanum aliud novum circa Cognitionem veram Dei ex cap. 10. vindic. lib. 1.

1. Arminianorum dogma: *Sufficere ſtudium ſedulum cognoſcendi dogmata neceſſaria controverſa; etſi quis non aſſequatur eorum cognitionem.*

1. Credidit hactenus Eccleſia ex verbo Dei non ſufficere apud Deum ad pietatem & cognitionem veram Dei in neceſſariis dogmatis, ſive controverſa illa ſint ſive non controverſa, ſtudium ac laborem ſedulum cognoſcendi controverſa illa, quando fit ut quis eo adhibito non aſſequatur cognitionem illam; ſed requiri etiam ut verè ipſam cognitionem illorum aſſequatur, in eâ magis ac magis creſcat & proficiat. At Arminiani contrà docent; ſufficere ſtudium iſtud in dogmatis neceſſariis controverſis, etiamſi fiat ut quis eo adhibito non aſſequatur illorum cognitionem. Ita enim capite 10. Vindiciarum p. 57. quia dixeram ego Arcan. lib. 1. c. 10. neceſſariorum, ſive controverſa illa ſive non controverſa ſint, cognitionem neceſſariam eſſe neceſſitate abſolutâ medii ſimul ac præcepti; reſpondent illi: *Cùm neceſſariorum, ſive illa controverſa ſint ſive non controverſa, cognitionem neceſſariam eſſe aſſerit neceſſitate abſolutâ medii ſimul ac præcepti, tùm neceſſe eſt ut cognitionem illam acci-*

cipiat vel ſimpliciter atque abſolutè ut cognitio eſt: vel prout ſignificat ſtudium ac laborem ſedulum cognoſcendi illa controverſa non minus quàm non controverſa. Si hoc poſteriore modo accipiat, uti objectio facta poſtulat, tùm quæro an ſtudium iſtud ſufficere credat, etiamſi fiat ut quis eo adhibito non aſſequatur cognitionem illam circa controverſa; an verò requirat etiam ut ſtudium illud conjunctum ſit cum iſtâ cognitione, ſive ut cognitio iſta ex ſtudio iſto fluat aut ſequatur tanquam effectus ex cauſa ſua. Si prius, tùm ſentit cum Remonſtrantibus, & aërem cædit per totum hoc caput. &c. Et poſtea ſophiſticè exagitant ſententiam veram contrariam à nobis propoſitam. Sophiſma autem illorum in eo conſiſtit, quòd ex noſtrâ ſententiâ ſequatur, illud ſtudium fruſtraneum eſſe in illis quibus gratia Dei & illuminatio Spiritus S. deeſt. Id quod ut veriſſimum eſt, ita non eſt abſurdum; quandoquidem tales homines non habent verum ſtudium cognitionis divinæ ſed ſaltem ſpeciem illius ſtudii. Nam qui verum ſtudium adhibet, is non poteſt non aſſequi cognitionem illorum quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt. Nituntur igitur Arminiani falſâ hypotheſi; acſi illi verum ſtudium adhibeant cognitionis divinæ qui errant in neceſſariis. Cęterum ex his rurſus patet veriſſimum eſſe, quod dixi capite præcedente, Arminianos orbi illudere doctrinâ ſuâ de diligentia illâ poſſibili &c. quandoquidem hic ſtatuunt diligentiam iſtam ſive iſtud ſerium ſtudium cognitionis dogmatum etiam ſimpliciter neceſſariorum controverſorum tale eſſe ut ſufficiat, etiamſi quis eam cognitionem neceſſariorum dogmatum non aſſequatur. Quis etiam non videt hos homines ſentire unumquemque Chriſtianum in ſuâ Religione ſive ſectâ & doctrinâ ſalvari poſſe, modò retineat ea neceſſaria quæ extra controverſiam ſunt inter cœtus Chriſtianos?

FINIS LIBRI PRIMI.

ARCA-

ARCANORVM ARMINIANISMI Partis III. LIBER SECVNDVS.

Caput Primum.

Arcana nova Arminianorum circa controverſa ea quæ jam in Vindiciis ſuis contra doctrinam propriam Apologiæ ſuæ dicunt ſe pro Neceſſariis habere, ex lib. 2. Vindic. cap. 1. &c.

1. ARMINIANI *dolent Controverſias non paucas inter Chriſtianos in Neceſſaria dogmata abire. Queruntur de Reformatis, quòd quædam dogmata controverſa pro Neceſſariis habeant.* 2. *Arminiani docent eos qui Neceſſaria dogmata controverſa negant errore aliquo adducti, non excidere jure poſſe Chriſtianorum nomine.* 3. Item: *Sufficere apud Deum ſi quis neceſſariorum Controverſorum dogmatum cognitionem habere ſtudeat, etiamſi eam non aſſequatur, ſed in errore perſiſtat, h. e. neceſſaria controverſa porrò neget.* 4. *Eum damnandum aut anathema ei dicendum non eſſe qui negat dogmata neceſſaria controverſa.* 5. *Imò eum damnandum non eſſe qui negat ea Neceſſaria quæ ita clara ſunt, ut ne Atheus quidem ea negare poſſit, niſi hominem exuat.* 6. *Eos qui negant Neceſſaria Controverſa ſalvari abſque illis poſſe.* 7. Docent etiam: *Neceſſariorum illorum deciſionem etiam prout*

ab ipſis Arminianis facta eſt, non eſſe infallibilem cui tutò acquieſcere poſſint conſcientiæ noſtræ. 8. Item docent: *Ea credi debere tantùm certitudine humanâ, cui falſum ſubeſſe poteſt.* 9. *Adeoque licere mutare ſententiam ſuam circa ea.* 10. *Ea quæ ſenſu Arminiano neceſſaria ſunt; eſſe, quæ quis credit eſſe neceſſaria ideò quòd credit neceſſitatem eorum in Scripturâ definitam eſſe.* 11. *Neceſſaria controverſa dogmata ab ipſo Deo in verbo eius deciſa non eſſe.* 12. *Corollaria quædam quibus impoſtura ſumma h. e. intima & vera natura Theologiæ Arminianæ indicatur.*

1. OBIECERAM Arcan. par. 1. lib. 1. c. 6. & 8. Arminianis, quòd docent: *Nulla dogmata Controverſa inter coetus Chriſtianos eſſe neceſſaria ad ſalutem: ſed ea tantùm eſſe neceſſaria ad ſalutem quæ extra controverſiam inter eos ſunt, ſeu quæ apud omnes coetus in confeſſo ſunt.* Hoc negant illi Vindiciarum lib. 1. cap. 8. & dicunt ſe agnoſcere dogmata aliqua controverſa inter Chriſtianos eſſe neceſſaria ad ſalutem. Promiſi autem par. 11. lib. 2. c. 3. me larvam ipſis in ea re planè detracturum, & oſtenſurum quam inhoneſtè, protervè & contra propriam conſcientiam negent ſe ita in Apologia docere; nec non monſtraturum eos orbi illudere etiam in eo ipſo quo dicunt ſe agnoſcere dogmata quædam controverſa pro Neceſſariis. Illud differam in partem quartam ſeu in Examen Vindiciarum; hoc autem in præſentiarum luce clarius meridiana oſtendam. Ideò autem diſtuli rem hanc in hoc ipſum caput oppoſitum capiti primo libri ſecundi Vindiciarum, quia non ſolùm in eo ſuo primo capite rurſus protervè & contra propriam conſcientiam negent ſe ita, ut dixi, in Apologiâ docere;

cere; ſed etiam larvam ſibi ipſis in iſto capite ex parte detrahunt, ut mox videbimus. Oſtendam igitur Arminianos, etſi in Vindiciis ſuis negent ſe ita docere, & profiteantur in illis ſe agnoſcere quædam controverſa dogmata pro Neceſſariis; tamen in iſtis ipſis Vindiciis ſuis reponere eandem doctrinam quam in Apologiâ tradidêre, ac docere in illis, Nulla dogmata controverſa eſſe neceſſaria ad ſalutem. Proponunt verò Arminiani illam doctrinam in Vindiciis, duobus modis. Partim enim in terminis id docent; partim aliis terminis eandem rem proponunt.

Quod ad prius attinet; in dedicatione ad Ampliſſimum Magiſtratum Daventrienſem, poſteaquam dixiſſent pag. 3. a. *Neceſſariorum dogmatum fidem inviolatam ſervare apex eſt Theologiæ noſtræ: cætera omnia condonamus infirmitati humanæ & paci publicæ* &c. addunt: *Interea Chriſtianiſmum miſere diſcerptum & diviſum in varias ſectas, ſectarumque particulas, non aliter quam friabilem maſſam, animitus dolemus.* Et inter alia dicunt ſe dolere: *abire errores ſæpe innoxios in hæreſes, blaſphemias, & atheiſmos;* CONTROVERSIAS NON PAUCAS IN NECESSARIA DOGMATA. *Hinc iras, odia, & Schiſmata naſci.* Et referunt illud inter mala quibus velint remedium ferri: *Hiſce malis remedium & medicam manum adhiberi* &c. Confer hunc locum cum ſequente, & videbis, Lector, nulli effugio aut ſophiſmati quo elabi poſſint & quo alioquin utuntur, ſed fruſtra (ut ex parte IV. apparebit) in vindiciis ſuis, locum eſſe. Etenim lib. 1. c. 10. p. 59. Conqueruntur de nobis non ſine variis mendaciis & calumniis, quas ſuo loco excutiemus, quod quædam neceſſaria ad ſalutem dicamus controverſa eſſe, ſeu ut ipſi loquuntur, quod dicamus veritatem divinam non omnibus ad ſalutem neceſſariis ſine controverſiâ eſſe propoſitam, & hoc vocant divinâ veritatem contumeliâ afficere: *Vos vero,* inquiunt, *animæ ſalutis veſtræ cupidæ etiam atque etiam oratas volo, ut diligenter perpendatis an veram doctrinam & Reformatam Religionem*

profiteri

profiteri ac docere poſſint ii, qui divinam veritatem iſtâ contumeliâ afficere non erubeſcunt, quod clarè ET SINE CONTROVERSIA IIS QVÆ AD ANIMARVM VESTRARVM SALVTEM PERTINENT PROPOSITA NON SIT. Ubi verum quidem eſt, nos dicere neceſſaria quædam dogmata controverſa eſſe, & id quidem non vitio Scripturæ, ut pote quæ in ſe perſpicua eſt, & ea quæ ad ſalutem pertinent omnia perſpicuè, clarè, & evidenter proponit; ſed vitio hominum qui ea in controverſiam vocant, non ſine controverſiâ ea ſinunt, ſive ea controverſa efficiunt, dum illa negant & oppugnant. At mera calumnia eſt, quod dicunt nos docere, ea non eſſe CLARÈ in Scripturis propoſita. Ita igitur in terminis repetunt iſtam doctrinam Apologiæ in vindiciis.

2. Rem quod attinet aliis terminis propoſitam, illa eò redit ut manifeſtum ſit Arminianos nomine tenus quidem venditare dogmata quædam controverſa jam pro neceſſariis; ſed reverâ ea negare & tollere, adeoque orbi protervè & manifeſtè illudere. Statuunt enim quidem controverſa quædam eſſe Neceſſaria ad ſalutem; ſed ſimul tamen docent eſſe Neceſſaria illa ad ſalutem talia, ut homo, qui ea negat, abſque illis ſervari poſſit. Eſtne hoc reverâ ſtatuere, dogmata illa eſſe Neceſſaria ad ſalutem, an verò Religionem Chriſtianam ludibriò habere, & impoſtorum partibus defungi?

Ut res extra omne dubium ſit, eam manibus uniuſcujuſcunque palpandam exhibebo; ac ipſorum doctrinam de Neceſſariis controverſis diſtinctè proponam. Docent igitur primò Neceſſaria illa talia eſſe quæ etiamſi plurimi Chriſtiani negent, adeoque careant, ut ipſi loquuntur, *formâ ſpecificâ Chriſtianiſmi* tamen ideò illi IVRE non excidant titulo Chriſtianiſmi; omnes nimirum illi Chriſtiani, qui vel ingenii vel judicii imbecillitate vel ERRORE aliquo adducti negant ea neceſſaria controverſa. Ita enim capite primo iſto ſuò lib. 2. vindic. quia ego dixeram Arcan. par. primâ cap. 1. lib. 2. ſecundum Arminianorum do-

rum doctrinam, dici non poſſe eos Chriſtianos eſſe, qui neceſſaria dogmata negant; imò ne Hæreticos quidem dici poſſe, ſed pejus nomen mereri. Reſpondent illi planè currendo præter caſam, quod vulgò ajunt, & dicunt p. 63. *Quid? an hoc verum non eſt? an hoc negat Vedelius? Negatio ergo eorum quæ Chriſtianiſmi eſſentiam conſtituunt, imò quæ ſpecifica forma ſunt Chriſtiani hominis qua talis, conſiſtere poteſt cum Chriſtianiſmo? Quid abſurdius? Negatio tamen neceſſariorum ſeu fundamentalium dogmatum ut rectè intelligatur, ſic habendum eſt. Negationem non aliam à nobis intelligi, quam eam, quæ fit ab iis, qui oportunitatem & occaſionem & habent Scripturas legendi & ſcrutandi, ut, quæ neceſſaria ſint & fundamentalia, pervideant. De iis enim qui Chriſtiani licet ſint, oportunitate tamen illâ abſque ullâ propriâ culpâ ſua deſtituuntur, benignius ſentire malumus. Deinde negationem aliam non intelligimus, quàm eam qua directè negantur ea, quæ vel clarè in Scripturis enunciata ſunt, verbi gratia, Deum creaſſe coelum & terram, Deum providentia ſua curare mundum, & judicaturum aliquando & unumquemque ſecundùm opera ejus &c. vel quæ per evidentem & omnibus obviam conſequentiam ex Scriptura eliciuntur, verbi gratia, inceſtum non eſſe opus carnis, quia inter opera carnis manifeſta non recenſetur ab Apoſtolo ad Gal. cap. 5. Hujuſmodi neceſſariorum dogmatum negatores Chriſtianos nec eſſe nec dici poſſe aſſerunt Remonſtrantes. Eos verò qui vel ingenii vel judicii infirmitate vel* ERRORE *aliquo adducti negant quædam quæ neceſſaria ab his aut illis eſſe creduntur, aut de quorum neceſſitate inter Viros pios & doctos controvertitur, idcircò Chriſtianorum titulo* IVRE *excidere negant.* Ubi obiter obſervet pius Lector, quod dicunt inter alia eos qui ERRORE aliquo abducti negant controverſa illa neceſſaria idcircò Chriſtianorum titulo IVRE non excidere. Quæſo quis Hæreticus eſt, qui non ad minimum errore aliquo adductus ea neget? item, quod neceſſarium dogma eſt quod non errore aliquo negatur ab errantibus, ſive ab errantibus errore aliquo abductis. Igitur vi huius hypotheſeos omnes

errantes ſeu qui errore aliquo adducti negant dogmata neceſſaria illa, ratione doctrinæ IVRE adeoque reverâ Chriſtiani ſunt.

3. Docent præterea; non ſolùm eos Chriſtianorum nomen jure poſſidere qui Neceſſaria dogmata controverſa negant, ſed etiam quod magis eſt, ſufficere apud Deum, ut ſtudeant ſaltem cognitionem eorum habere; etiamſi eam non aſſequantur, ſed adhæreant ſententiæ quam putant eſſe veram. Ita enim lib. 1. c. 8. p. 47. poſtquam diviſiſſent dogmata in ea quæ extra controverſiam ſunt & infallibilitatem abſolutam habent, de qua dicunt, *Hanc nemo negare, nemo in dubium vocare poteſt, neque unquam quiſquam negavit aut in dubium vocavit, qui verbum Dei in V. & N. Teſtamento expreſſum pro verbo Dei habet:* addunt, aliam rationem controverſorum dogmatum eſſe. de quibus dicunt *Certum eſſe hoc ſufficere apud Deum ut, ſi quas adhibitâ omni diligentia in conſcientia optimas judicat iis adhæreat, & quia earum conſequentia non omnibus evidentiſſima eſt, alias audire & ſequi paratus ſit.* ULTERIUS IRE NON POTEST IN CONTROVERSIS, *& ut ultra quicquam ab homine poſtuletur* RATIO NON SINIT. *Hi ſunt termini, Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.* Item cap. 10. lib. 1. p. 57. 58. dicunt, ſiquidem mea ſententia ſit, (quæ mea in æternum ſententia non erit quia ex verbo Dei melius edoctus ſum, Libertinus, autem non ſum) ſtudium cognoſcendi controverſa dogmata neceſſaria ad ſalutem ſufficere, etiamſi fiat ut quis eo adhibito non adſequatur cognitionem illam circa controverſa neceſſaria; me ſentire cum ipſis: prout vidimus capite præcedente, ubi locum integrum deſcriptum videre eſt.

4. Unde jam aliud fluit ipſorum dogma: Nimirum, Neceſſaria per conſequens talia eſſe, quæ etſi quis Hæreticus neget, tamen propterea damnandus aut anathema ipſi dicendum non ſit. Ita enim lib. 2. cap. 4. p. 107. 108. *Inter errantes & peccatores medii ſunt Hæretici, quos etſi peccare, id eſt, opus carnis facere*

cere credant, odio tamen & pœna indignos cenſent, quia de cauſa quæ eos in hæreſin præcipitat, certi quippiam ſtatuere non poſſunt. Vnde conſequitur, tantiſper illos odio aut pœna dignos à nobis cenſendos non eſſe quantiſper de cauſa illa certò nobis non conſtat. Et quia de cauſa illa conſtare nobis non poteſt, cauſæ iſtius cognitionem & dijudicationem ſoli Deo relinquendam eſſe, qui conſilia cordium novit, & quæ quemque cauſa in errorem impulerit, ſuo tempore revelaturus eſt &c. In eos itaque nihil triſtius decerni aut ſtatui volunt, quam in errantes, quibus ſuus proprius error ſatis nocebit, etiamſi nos eos noſtro odio non gravemus, nec poenæ durioris atrocitate premamus. Item: Hinc eſt quod Remonſtrantes errantes omnes tolerari velint; & venia potius ac commiſeratione, quam odio aut poena dignos eſſe cenſeant. At licet aliquando affectus intercurrant, quos humana infirmitas ſolet gignere, eos tamen boni conſulendos potius, quam criminis alicujus ſuſpicione gravandos aut exaggerados, ſi modo abſint livor odium, & aliis nocendi propoſitum. Et capite quinto p. 121. dicunt: *Fieri non poſſe, ut dogmata quædam iſto quo dicimus ſenſu Neceſſaria in controverſiam vocentur, niſi ab iis quos manifeſtum eſt aut ingente præjudicio laborare, aut acribus affectibus abripi, ut vel clariſſima videre non poſſint cœcorum inſtar, vel videre non curent inſtar eorum qui oculos claudunt, ad clarum Solem. Rationes eorum id arguunt, quæ ſæpè ne ſpeciem quidem, ſemper autem præter ſpeciem nihil habent in receſſu.* Addunt immediatè: *Noſtrum non eſſe tamen triſtius quicquam decernere contra eos, qui neceſſaria iſta convellunt; quia quæ vera & propria cauſa illa ſit, quæ eos movet ad neceſſaria iſta convellendum, ſi cætera probi & pacifici ſint, certò definire non poſſumus. Præſtare itaque ut in mitiorem ſemper partem inclinemus judicium noſtrum quàm in duriorem, Deo cordium inſpectori relinquentes ſupremum ea de re judicium, & ſufficere rati ut ab eorum communione abſtineamus ex lege & præſcripto Domini Ieſu, citra ullam aliam noxam.* Obſerva quod dicunt ſufficere excommunicationem talium. Quæſo, qualis & quàm inaudita eſt illa excommunicatio Hæreticorum, ſeu eorum qui

neceſſaria negant ac oppugnant, quæ ſine anathemate ſeu ſine damnatione eſt? Et quod dicunt abſtinendum eſſe à communione eorum ex lege & præſcripto Chriſti: in eò contradicunt manifeſſimè Apologiæ ſuæ in qua Exam. Cenſ. præfat. f. 19. b. aiunt: *Diſſentientes aut errantes à ſe ſeparare, aut ab illis ſegregare, nuſpiam mandatum ſibi legunt Remonſtrantes.* Ecce igitur eos dicentes Chriſtum legem dediſse & mandatum, quod tamen nuſpiam in Scripturâ ſibi datum legunt: non ſecus ac ſuprà dixerunt; ſe profiteri Spiritum S. eſſe adorandum, cuius tamen rei dicunt ne hilum quidem in Scripturâ exſtare, item ne indicium quidem ullum ſeu maniſeſtum ſeu non manifeſtum. Nec poſſunt excipere ſe loqui in Apologiâ de diſſentientibus aut errantibus piis &c. Hoc enim merum & inane effugium eſt, ut oſtendimus Arcan. lib. 2. cap. 5. & porrò in parte IV. cap. 5. lib. 2. patebit. Quod magis eſt, etſi profiteantur loco allegato Vindic. communionem colendam non eſſe cum iis qui Neceſſaria iſta negant, ſeu cum Hæreticis, tamen etiam illâ ipſa excommunicatione orbi illudunt. Etenim ſtatuunt communionem colendam eſſe cum Hæreticis illis qui rudes rerum Theologicarum ſunt & probam atque inculpatam vitam agunt, ut infrà videbimus cap. 8. §. 8. Annon hoc eſt orbi illudere?

5. Imò docent damnandam aut Anathema denunciandum nõ eſſe ei qui negat ea neceſsaria, quę ita clara ſunt, ut ne Atheus quidem ea negare poſſit niſi hominem exuat. Ita enim lib. 2. c. 10. cùm q. 194. tria genera neceſsariorum poſuiſsent; & primò quidem dixiſsent, *id eſſe neceſſarium quod ita claris ac perſpicuis verbis traditum eſt ut conſequentiâ nullâ opus ſit ad credendum quòd ſit neceſſarium. Secundò* inquiunt, *quod ad conſequentiam attinet, certum eſt conſequentias non paucas eſſe quæ tàm evidentes & claræ ſunt ut Atheus eas negare non poſſit niſi hominem exuat, exempli gratiâ &c. Tertiò certum eſt conſequentias quaſdam eſſe quæ per ſe evidentes & claræ ſunt omnibus & ſingulis hominibus, quarum tamen evidentia in controverſiam vocari poteſt ab iis quos*

præjudicio

prajudicio aut alio aliquo morbo animi laborare manifeſtū eſt ut exempli gratiâ &c. Cùm, inquam, iſta tria genera neceſsariorum poſuiſsent, addunt p. 195. *Non eſſe difficile obſervare eos qui iſta negant, non negare ea quòd rationibus aut argumentis ex Scripturâ aut aliunde petitis ea falſa eſſe convicti ſint apud animum ſuum, nedum ut ea falſa eſſe demonſtrare poſſint, ſed quòd ea falſa eſſe in animum ſuum voluerint aut velint inducere &c. Quis tamen affectus in cauſa ſit, incertum eſt & Deo relinquendum.* Quid autem ſit Deo relinquere affectuum horum judicium, intelleximus ex ipſorum verbis in præcedente ſectione commemoratis, & patebit porrò ex ſequente ſectione.

6. Quemadmodum igitur docent Controverſa Neceſsaria tàlia eſse, ut damnandus non ſit qui illa negat; ita contrà docent eos qui illa negant, abſque illis ſalvari poſse. Ita enim lib. 2. c. 4. poſtquam p. 107. dixiſſent: Hæreticis qui ea negant, non magis quam aliis errantibus anathema dicendum non eſſe, ſeu, ut ibi loquuntur, nihil triſtius in eos decerni aut ſtatui debere, item eorum affectus qui in cauſa hæreſeos ſunt boni conſulendos potiùs eſſe quam criminis alicujus ſuſpicione gravandos aut exaggerandos &c. addunt p. 108. dubitandum non eſſe quin Deus eos affectus errantibus condonaturus ſit; imò, errantibus veniam D E B E R I: *Nec dubitandum eſſe*, inquiunt, *quin clementiſſimus Deus humanæ infirmitatis conſcius, eos errantibus condonaturus ſit, qui non rarò ad lapſus quoſdam connivet, in quos nos noſtra præcipitat imbecillitas. Ad triſtem partem prona ac ſtrenua eſt ſuſpicio, caritas verò tarda ac lenta. Conſcientiæ ſtudium acres aliquando habet ſtimulos, & torrentis inſtar abripit errantes magnis affectibus ſed innoxiis, quos excuſare tutius eſt, quàm calumniari aut rigidâ ſeveritate in crimen & culpam vocare. Et profectò hæc eſt communis omnium populornm vox, Errantibus veniam deberi, peccantibus pœnam.* Et allegant exemplum Pauli qui etſi blaſphemus &c. fuerit, tamen, inquiunt, *veniam ſe à Deo conſecutum ait &c.* Ubi non conſiderant, Apoſtolum non manſiſſe

in erroribus ſuis ſed ſeriò reſipuiſſe. Cæterum quomodo hoc conciliare poſſint cum eo quod lib. 2. cap. 8. p. 155. dicunt, errorem quem Hæreticus errat non poſſe conſiſtere cum ſpe ſalutis æternæ ipſi viderint. Ita enim ibi: *Etſi enim error iſte quem Hæreticus errat fundamentalis ſit, ac proinde cum ſpe ſalutis æternæ non poſſit conſiſtere, tantum tamen abeſt, ut errorem iſtum eiuſmodi errorem eſſe ſciat &c.* Similiter p. 156. loquuntur de Hæreſi illa quam voluntariam fingunt & cujus exempla tanquam vera ponunt, quæ in rerum natura non ſunt h. e. quæ per calumniam meram & malitiam Diabolicam nobis Reformatis affingunt, dicentes *eam Hæreſin ſive errorem fundamentalem eſſe, & neminem eſſe qui Hæreſes iſtas amplexaturus ſit deditâ operâ ſi ſciat ac perſuaſus ſit eas errores tales eſſe, cum quibus ſalvari non poteſt.* Concilient hæc duo: *Errantibus omnibus etiam Hæreticis* quos illi pro lubitu fingunt, *veniam deberi*, item *dubitandum non eſſe, quin Deus eis veniam daturus ſit*, item *triſtius nihil ſtatuendum eſſe contra eos &c.* & ex alterâ parte *errores illorum cum ſpe ſalutis æternæ conſiſtere non poſſe.* Elabi fortaſſis conabuntur hoc modo: Errantes ſalvos fieri per miſericordiam Dei etſi mereantur condemnationem. Atqui primò dicunt capite allegato quarto p. 108. iis non deberi pœnam ſed peccatoribus; item iis deberi veniam. Deinde ſi merentur condemnationem, certè aliquid triſte contra eos eatenus eſt ſtatuendum (nam condemnatio res triſtis eſt, & condemnatio ipſis eſt atque anathema denunciandum, in eum finem ut tum alii ſibi ab Hæreticorum doctrina caveant tum ipſi de converſione ſeriò cogitent, qui quidem finis eſt anathematis non autem perditio, ut hi homines ignari omnis ſolidæ Theologiæ fingunt, quò clementiæ & miſericordiæ prætextu palliare queant quod Antitrinitariis anathema dicere, & dogmata Orthodoxa quæ illi oppugnant pro Neceſſariis habere nolunt, ut ita liberam profeſſionem Turcicarum illarum blaſphemiarum, quibus cor ipſorum adeò repletum eſt ut os redundet, introducere poſſint. Jam autem

autem negant anathema iis denunciandum & triſtius quicquam contra eos ſtatuendum eſſe. Denique conſtat Deum miſereri quidem peccatorum etiam graviſſimorum, ſed non ſine reſipiſcentiâ eorum ſeriâ; abſque quâ actum & conclamatum de illis eſt.

7. Sufficerent ea quæ hactenus diximus ad larvam detrahendam his hominibus, & detegendam impoſturam eorum: ut tamen magis videas, quàm evaneſcant in cogitationibus ſuis unà cum Neceſſariis ſuis controverſis quæ dicunt ſe agnoſcere; & quam protervè orbi imponant: ſunt ipſis etiam ea Neceſſaria talia, quorum decîſio ab ipſis Arminianis facta non eſt infallibilis, & quâ tutò niti poſſint noſtræ conſcientiæ. Dixeram ego Arcan. lib. 2. c. 3. p. 121. *Quis ex verbo Dei decîdet quæſtionem An hoc vel illud dogma Samoſateni, Photini &c. De Trinitate ſit Hæreticum, ſi Eccleſia tota vera, ſi pura Antiquitas tota id decîdere non poteſt? Certè ſi tota vera Eccleſia inde ab initio ad hoc uſque tempus decîdere illas quæſtiones non potuit; nemo profectò hominum aut ſolus aut cum aliis eas decîdere poteſt.* Reſpondent illi lib. 2. Vind. c. 3. p. 87. 88. *Nemo decîdere eas poteſt decîſione tali, quâ ſtare tanquam decîſione infallibili & extra omnem erroris aleam poſitâ conſcientiæ noſtræ aut poſſunt aut debent. Eccleſia qualibet imò quilibet homo Chriſtianus decîſionem non de iſtis tantùm quæſtionibus ſed de omnibus quæ ad ſalutem ſcitu ac creditu neceſſariæ ſunt, facere pro ſe & poteſt & debet, ſed decîſio iſta non eſt decîſio quæ infallibilis eſt & quâ tutò inniti poteſt aut debet cuiuſquam alterius hominis conſcientia.* Vides ut ne quidem excipiant decîſiones ſuas proprias de rebus Neceſſariis. Ubi quod dicunt decîſiones tales non obligare alios quam ipſos decîdentes; falſum eſt de illis quæ ex verbo Dei rectè & verè factæ ſunt de quibus tantùm quæſtio eſt. Deinde decîſio talis qualem ipſi requirunt non eſt vera decîſio ſed illuſoria; ut patet vel ex propriâ ipſorum hypotheſi quâ in Apologiâ ſtatuunt eam demum eſſe veram decîſionem controverſorum dogmatum quâ parti alteri ſatisfit ita ut decî-

ut decîdenti aſſentiatur, & hanc eſſe unicam illam decîſionem ſine quâ cæteræ omnes decîſiones quibuſcunque tandem titulis ornentur non fruſtraneæ tantum ſed & noxiæ & Tyrannicæ deciſiones ſunt, & quæ Iliadem malorum pariunt. Ita enim Apol. c. 25. f. 288. a. ubi de deciſionibus Synodicis inſtituendis & formandis loquuntur: *Quòd ſi contradictio benè fundata ſit & quæ omninò per alios adverſa ſentientes tolli non poſſit; is verò qui contradicit, adverſam ſententiam non omninò etiam tollat, id agitur ut in medio relinquatur lis, & tolerantia mutua ſanciatur. Quòd ſi verò parti alteri omninò ſatisfiat, ſublata eſt controverſia & lis decîſa non quovis modo, ſed eo quo decîſio fieri poteſt ac debet. Eſt enim deciſio non præcisè intenta, ſed ex conſenſu & perſuaſione nata.* Et paulò poſt loquentes rurſus de eâ decîſione ne quæ ex conſenſu & perſuaſione nata eſt, inquiunt: *Quæ deciſio in rebus fidei & ſalutis æternæ negotium ſpectantibus, unica illa deciſio eſt, ſine quâ cætera omnes deciſiones quibuſcunque tandem titulis ornentur, non fruſtraneæ tantùm ſed & noxiæ ac Tyrannicæ deciſiones ſunt, & quæ Iliadem malorum, Schiſmatum vid. Scandalorum, perſecutionum, bellorum, pepererunt per orbem Chriſtianum.* Non hîc poſſunt effugere ac dicere ſe excipere decîſionem quâ quis pro ſe ſolo decîdit. Nam his verbis ex Apologiâ allegatis ſententiam adverſus eam decîſionem ſuam dixerunt clarius & generalius quam ut effugere poſſint; etenim decîſionem illam quâ ſatisfit penitus alteri parti ſeu quæ ex conſenſu & perſuaſione nata eſt, dicunt eſſe *unicam illam ſine qua cætera omnes quibuſcunque tandem titulis ornentur fruſtraneæ noxiæ & Tyrannicæ ſunt*. Id quod profectò de decîſionibus Arminianorum quibus neceſſaria decîdunt, nimis quam verum eſt, ut patet ex deciſione ea qua ſtatuunt dogma hoc, *Hæreticos nullo modo corporali eſſe coërcendos*, eſſe neceſſarium ad ſalutem; & ideò damnant non ſolum omnes Doctores qui contrarium docent, ſed etiam omnes Reges, Principes, Magiſtratus qui Hæreticos ullo corporali modo coërcent ut ex prima parte Arcanorum patet

& ſuo

& ſuo loco ulterius patebit. Quæ quidem ſumma & inaudita Tyrannis ac petulantia eſt contra omnem Eccleſiam veterem & recentem quæ Deum in tribus perſonis adoravit & adorat, ſpeciatim contra omnes cœtus Reformatos & Lutheranos eorumque Reges, Principes ac Magiſtratus. Ex qua ipſorum Tyrannide ſubnixâ ſeditioſo dogmate de pari jure Hæreticorum in Magiſtratum (ut patet ex Arcanorum par. I. lib. 2. c. 9. item par. II. lib. 2. c. 5. & amplius patebit ex par. IV. lib. 2. c. 9.) qui eos coërcere vult, quæ mala, quæ vaſtationes, quæ calamitates publicæ orituræ eſſent ſi hi Theologi rerum potiantur & non maturè compeſcantur unuſquiſque ſapiens facilè videt. Talis eſt etiam deciſio eorum Tyrannica & Diabolica qua fingunt enunciationes quaſdam Hæreticas imò Diabolicas quibus omnis Religio evertitur à Reformatis credi, doceri, defendi; nimirum hæreſes has: *Bona opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem*; item, *Deum eſſe auctorem peccati.* ut videbimus par. IV. lib. 2. c. 9. Denique quam noxia, inanis & illuſoria ſit deciſio eorum circa Neceſſaria dogmata, ex hoc capite manifeſtum eſt.

8. Porrò quemadmodum Neceſſariorum dogmatum controverſorum deciſionem non eſſe infallibilem dicunt; ita quoque docent ea credi non debere certitudine infallibili & divina, ſed tantum fide ſeu certitudine humanâ, quam dicunt niti rationibus quibus falſum ſubeſſe poteſt, etſi is in quo ea certitudo ineſt, iis falſum non ſubeſſe ſibi perſuaſum habeat. Ita enim lib. I. cap. 8. p. 47. *Fidem vel certitudinem humanam vocant Remonſtrantes, quæ rationibus ex ipſo verbo Dei judicio noſtro petitis nititur, & quidem eam quæ formidinem contrarii excludit, ſed quibus tamen ſubeſſe falſum poteſt, etſi is in quo ea certitudo eſt, iis falſum non ſubeſſe ſibi perſuaſum habeat. Hanc à certitudine divinâ diſtinctam volunt, cui ſubeſſe falſum non poteſt, quæque abſolutam infallibilitatem includit.* Et hanc infallibilitatem tribuunt dogmatis non controverſis, *quæ nemo in dubium vocare poteſt*, ut ibidem loquuntur, *aut unquam quiſquam negavit aut in dubium*

vocavit, qui verbum Dei in Vetere & N. Teſtamento expreſſum pro verbo Dei habet. Certitudinem autem humanam tribuunt controverſis omnibus: *At certitudo,* inquiunt, *illa quæ humana dicitur Remonſtrantibus, rationibus quidem nititur ex verbo illo deductis, ſed talibus quibus alii rationes alias ex eodem verbo deductas opponunt, ac proinde quæ adeò infallibilis non eſt, quin aliis & melioribus rationibus everti poſſit. etc. Vlterius ire non poteſt in Controverſis, & ut ultra quicquam ab homine poſtuletur ratio non ſinit. Hi ſunt termini Quos ulta citraque nequit conſiſtere rectum.*

9. His non contenti docent licere circa controverſa neceſſaria ſententiam mutare quando rationes contrariæ præponderant. Dicunt enim ibidem, ut vidimus ſectione præcedente, certitudini humanæ qua controverſa omnia dogmata, ſive oppoſita illis quæ apud omnes in confeſſo ſunt, creduntur, *falſum ſubeſſe poſſe adeoque aliis & melioribus rationibus everti eam poſſe.* Et addunt ſtatim: *Quamdiu id non fit, tamdiu firmiter conſtanterque rationibus iſtis, quas optimas eſſe credit Chriſtianus, adhæret, eo tamen animo ut, ſi meliores occurrant, iis cedere paratus ſit, certus hoc ſufficere apud Deum, ſi quas adhibitâ omni diligentiâ in conſcientiâ optimas judicat, iis adhæreat, & quia eorum conſequentia non omnibus evidentiſſima eſt, alias audire & ſequi paratus ſit: Vlterius ire non poteſt in controverſis, & ut ultra quicquam ab homine poſtuletur ratio non ſinit etc.* Ubi dicere non poſſunt, ſe loqui tantum de dogmatis illis controverſis quæ ideò controverſa ſunt quia eorum neceſſitas nec ῥητῶς nec per conſequentiam evidentem in Scripturâ decîſa eſt; id quod ipſorum effugium eſt in Vindiciis quo colorem volunt dare dogmati Apologiæ; *Nulla controverſa dogmata eſſe neceſſaria ad ſalutem.* Præterquam enim quod iſtud effugium meram impoſturam eſſe & Arminianorum propriæ tam conſcientiæ quam doctrinæ repugnare indicavimus Par. II. lib. 2. ac porrò oſtendemus Par. IV. lib. 1. c. 8. videt etiam unuſquiſque eos loqui loco allegato p. 47. de controverſis omnibus dogmatis, quæ oppoſita ſunt illis dogmatis quæ

tis quæ apud omnes in confeſſo ſunt, & quæ ſubſunt ſecundum illos certitudini humanæ.

10. Quemadmodum igitur Neceſſaria, quæ profitentur ſe agnoſcere, adeò evanidè concipiunt, & illuſoriè mundo exhibent; ita tandē res eò redit, ut ea controverſa dogmata quę ſenſu Arminiano Neceſſaria ſunt reſolvantur in miſerū VIDETVR; hoc eſt, non in Neceſſaria quæ revera talia ſunt, ſed quæ habentur ab his vel illis pro Neceſſariis, ſeu videntur eſſe talia. Ita enim in hoc ipſo capite primo lib.2.vindic.p.63. poſtquam dixiſſent; eos qui negant neceſſaria carere formâ ſpecificâ Chriſtianiſmi adeoque Chriſtianorum nomine indigni ſunt; addunt, ut vidimus ſectione ſecundâ hujus capitis, Chriſtianos dici non poſſe qui negant dogmata Neceſſaria non controverſa: *Hujusmodi*, inquiunt, *neceſſariorum dogmatum negatores Chriſtianos nec eſſe nec dici poſſe aſſerunt Remonſtrantes. Eos verò qui vel ingenii vel judicii infirmitate vel errore aliquo adducti negant quædam quæ* NECESSARIA AB HIS AVT ILLIS ESSE CREDVNTVR, *at de quorum neceſſitate inter viros pios & doctos controvertitur, idcircò Chriſtianorum titulo jure excidere negant.* Et clarius libro hoc eodem ſecundo p. 121. cap. 5. dicunt, circa dogmata controverſa, ad hoc ut quis credat dogma tale aliquod eſſe, ſenſu ſuo Arminiano, Neceſſarium, non requiri neceſſariò ut reverâ ſit neceſſarium, ſed ſufficere ad id ut ſtatuat ac credat ejus neceſſitatem in Scripturâ expreſſam eſſe. verba eorum ſunt: *Quartò dicunt Remonſtrantes ſufficere ad hoc ut pars altera dogma aliquod ſtatuat aut credat eſſe neceſſarium, ut ſtatuat ac credat eius neceſſitatem vel expreſsè in Scripturâ definitam eſſe, vel per conſequentiam omnibus obviam & evidentem ex eâ deduci, etiamſi pars altera contrarium credat. Quintò, fieri non poſſe, ut dogmata quædam* ISTO QVO DIXIMVS SENSV NECESSARIA *in controverſiam vocentur niſi ab iis quos manifeſtum eſt aut ingente præjudiciò laborare, aut acribus affectibus abripi &c. Rationes eorum id arguunt quæ ſæpè ne ſpeciem quidem*

habent &c. Atque hinc etiam nonnunquam in favorem ſectæ alicujus dogma aliquod tale eſſe, quod nec ῥητῶς nec κτ̀ διάνοιαν h. e. nec in terminis nec quoad rem ſive ſenſum in Scripturâ contineatur, pronunciant, ex eo fundamento quòd pars errans credit illud nec ῥητῶς nec κτ̀ διάνοιαν in Scripturâ exſtare, ſed potiùs contrarium. Ita enim hujus libri cap. 5. in favorem Socinianorum & Anabaptiſtarum, dogma, quo illi jus gladii h. e. ſanguinis noxii effundendi ſive capitali ſuppliciò in ſontes animadvertendi Magiſtratui eripiunt, controverſum eſſe, ut ipſi loquuntur, h. e. nec ῥητῶς nec κατὰ διάνοιαν evidentem liquere probant exinde, quia Sociniani & Anabaptiſtæ non credunt iſtud liquere. Ita enim p. 115. *Supponit Vedelius Deum gladii uſum mandâſſe Magiſtratui, & eum eſſe mundi ſtatum ut uſum gladii poſtulet. Fateor. At hoc ipſum, An Deus uſum iſtum gladii mandaverit in Novo Teſtamento controverſum eſt. Quòdſi vel κατὰ τὸ ῥητὸν vel κατὰ τὴν διάνοιαν evidentem liqueret mandati auctoritas, actum eſſet. At tantum abeſt ut hi iſtud liquere credant altero iſtorum modorum, ut contrà gladii uſum olim in V. Teſtam. non conceſſum tantùm ſed & mandatum, jam in N. Teſtam. non modò non conceſſum, ſed & vetitum atque interdictum eſſe à Chriſto contendant, alioquin gladium non tantùm probaturi & laudaturi ſed & uſurpaturi ad publicam quietem.* Ex hoc eodem fonte fluit, quod dicunt, ſufficere ad hoc ut quis communionem cum aliqua ſectâ colere non poſſit, ſi credat & perſuaſus ſit dogma aliquod de quo quæſtio eſt non exſtare in Scriptura nec ῥητῶς nec per evidentem conſequentiam. Ita enim lib. 2. c. 5. p. 112. *Sufficit autem ad hoc ut quis communionem cum aliquâ ſectâ colere non poſſit, ſi credat & perſuaſus ſit à ſuâ parte, dogmata illa neceſſaria propter quorum negationem communio coli non poteſt, in Scriptura exſtare vel κατὰ τὸ ῥητὸν vel τῷ ῥητῷ æquivalentem conſequentiam, quam nempè is qui dogmata iſta negat, ſcire & facilè poteſt & neceſſariò debet evidentem & Sole clariorem eſſe &c.* Ita iſti homines de Neceſſariis & communione Spirituali quæ in Neceſſariis fundatur,

datur, docent. Contrà autem docet tota Eccleſia non ſufficere apud Deum, ut quis credat aliquod dogma eſſe neceſſarium; verum requiri etiam ut ſit revera neceſſarium; & hominem non excuſari ſi credit dogma partis adverſæ non exſtare in Scripturâ & ideò communionem Eccleſiæ rumpit, triſte diſſidium & Schiſma excitat pernicioſum; ſed ſummum crimen incurrere ſi malè credat.

11. Atque hæc omnia nituntur eo ipſorum fundamento quod dogmata controverſa neceſſaria non habent pro iis quæ à Deo ipſo in verbo ejus deciſa ſint: adeoque contendunt ei, qui acceptare non vult illa, liberam debere relinqui interpretationem ſuam: prout videbimus cap. *6.* *§*. 4. Quæſo, qualia jam ſunt Neceſſaria dogmata illa quæ ab ipſo Deo decîſa non ſunt? Nunc uno complexu conſideremus, qualia ſint illa dogmata neceſſaria Controverſa, quæ pro Neceſſariis ſe agnoſcere dicunt Arminiani. Sunt igitur Neceſſaria talia, ut doleant controverſias non paucas inter Chriſtianos in Neceſſaria dogmata abire, & querantur Reformatos veritatem divinam non ſine controverſiâ propoſitam dicere. Neceſſaria talia, quæ qui negat errore aliquo &c. adductus eum dicunt non excidere jure poſſe titulo Chriſtiani. Neceſſaria talia, quorum ſtudium ſufficiat, etiamſi eorum cognitionem aliquis non aſſequatur, ſed in errore in neceſſariis dogmâtis illis perſiſtat & ea porrò neget. Neceſſaria talia, propter quæ anathema aut damnatio denũcianda non ſit illi, qui ea negat. Neceſſaria talia, propter quæ anathema dicendum non ſit illi qui ea negat; etſi ea ita clara ſint, ut ne Atheus quidem ea negare poſſit, niſi hominem exuat. Neceſſaria ad ſalutem talia, abſq; quibus homo ſalvari poſſit. Neceſſaria talia quorum deciſio non eſt infallibilis cui tutò acquieſcere poſſit conſcientia alterius hominis. Neceſſaria talia quæ credenda ſunt tantum certitudine humanâ cui falſum ſubeſſe poteſt. Neceſſaria talia circa quæ licet ſententiam mutare & contrariam amplecti. Neceſſaria talia quæ alicui videntur eſſe neceſſaria:

Neceſſaria denique talia, quæ ab ipſo Deo non ſunt deciſa.

14. Ex quibus omnibus jam patet *primò* quæ intima & arcana mens Arminianorum miniſtorum ſit circa naturam Hæreſeos & Hæretici. Capite quarto libri ſecundi vindic. in quo de Hæreſi agunt, ita muſſitant circa rem illam ut nequaquam inde ſcire poſſis quæ eorum in eâ re mens ſit. Sed ex dictis larva omnis tollitur ipſis, ut non amplius ſub eâ latere poſſint. Etenim vidimus quæ ſint ſenſu Arminiano Neceſſaria, ſpeciatim ſectione præcedente decimâ. Dicunt hinc inde Hæreticum eſſe qui errat in Neceſſariis ad ſalutem. Itaque ſecundum ipſos Hæreticus eſt, qui errat in eo quod alius putat eſſe Neceſſarium ad ſalutem, & quidem ideò putat, quia ejus neceſſitatem credit in ſcripturâ expreſam eſſe vel ῥητῶς vel per evidentem conſequentiam. *Secundò* per conſequens manifeſtum eſt quod ſit fundamentum doctrinæ ipſorum de pari jure Hæreticorum & quorumvis cœtuum circa judicium de errore & Hæreſi, aut de veritate contrariâ. Fundamentum enim illius turpis doctrinæ eſt non ſolum in ſententiâ eorum de fallibilitate judicii humani, unde etiam Neceſariorum deciſionem dicunt non poſſe eſſe infallibilem: ſed etiam in doctrinâ eorum, quâ dicunt ea ſenſu ſuo Neceſaria eſse, ad quæ, ut quis ea pro neceſariis habeat, ſufficit ut eorum neceſſitatem quis putet ſive credat exſtare in Scriptura &c. Jam unuſquiſque credit, ſtatuit, in Scripturâ expreſam eſſe neceſſitatem dogmatum ſuorum quæ pro neceſariis habet. Unde ſequitur ex eorum quidem hypotheſi par jus eſse omnium circa judicium de Hæreſi. Id quod locum non habet, ſi dicatur ad Neceſaria non ſufficere ut quis credat ea eſse neceſaria, ſed requiri inſuper ut reverâ talia ſint. *Tertiò* quis non videt per conſequens, ſic totam Religionem Chriſtianam in meram opinionem converti, ita ut ſi Theologia horum hominum locum inveniat, nihil amplius certi relinquatur in omnibus illis quæ controverſa ſunt inter Chriſtianos? quandoquidem & veritas Neceſaria & Hæreſis Arminiano

ſenſu

ſenſu talis eſt qualem modò vidimus. *Quartò* denique luce clarius meridianâ eſt, hos homines non agere cauſam conſcientiæ & Religionis, ſed eſse meros illuſores & impoſtores in tàm gravi & arduo negocio. Id quod eſt manifeſtum cùm ex aliis quæ his tribus partibus Arcanorum expoſuimus, & porrò quartâ parte exponemus; tum ſpeciatim ex eo quòd in Vindiciis hinc inde dicunt ſe agnoſcere dogmata quędam controverſa pro neceſsariis ad ſalutē. Simulant enim tantum ſe agnoſcere dogmata quędam controverſa Neceſsaria ad ſalutem & ſpeciem quidē eorum aliquam oſtentant, quam ubi propiùs contemplaris non niſi meram larvam, fraudem & impoſturam eſse deprehendis, quâ præſtringere volunt oculos univerſi, ne animadvertat arcanam impietatem ipſorum atque Libertiniſmum, per quem Socinianiſmum introducere conantur. Ut igitur illud non animadvertatur (quandoquidem odioſū nimis eſſe vident expreſſis verbis docere ut in Apologiâ fecerunt, Nulla dogmata Controverſa eſse neceſsaria ad ſalutem) dicunt ſe agnoſcere quædam dogmata controverſa neceſsaria; ſed reverâ eandem rem proponunt, ut oſtenſum eſt; h. e. negant Neceſsaria quædam controverſa eſse. Patieturne orbis diutius ſibi ab his hominibus illudi? Et boni populi, qui ab iis decepti ſunt, annon tandem juſtum dolorem adverſus eos concipient ac iis relictis in viam redibunt?

CAP. II.

Arcana nova Arminianorum de Profeſſione Religionis; ex cap. 2. lib. 2. Vindic.

Dogmata Arminianorum: 1. *Eum qui manet in aliquo cœtu quem pro impuro habet, atque ab eo diſſentit mentem tamen ſuam diſſimulat, non profiteri Religionem illius cœtus.* 2.

tus. 2. Chriſtianum teneri erigere novam ſectam, quando dogma aliquod profert, propter quod nullus alius cœtus eum vult tolerare. 3. Eos qui pro Religione Pontificiâ quam ipſi Arminiani pro idololatricâ habent ſanguinem ſuum profuderunt ſalvos eſſe, & magnum divinæ gloriæ, veritatis, & bonæ conſcientiæ amorem in illis fuiſſe. 4. Dubium eſſe quæ ſecta aut numero Martyrum aut laude conſtantiæ & patientiæ eorum triumphet.

1. HActenus communi omnium Chriſtianorum conſenſu dicebatur is profiteri Religionem Eccleſiæ ſeu cœtus illius cuius membrum eſt ſive in quo cœtu manet, ejuſque ſacris participat: & quidem ſi non apertè profiteatur diſſenſionem ſuam in ullo dogmate, judicatur profiteri eandem Religionem per omnia; ſi autem expreſsè declaret ſe diſſentire in hoc aut illo capite,& communionem colat cum illo cœtu, tunc judicatur etiam profiteri Religionem illius cœtus in omnibus dogmatis præterquam in illis in quibus apertè profitetur ſententiam ſuam diverſam à ſententiâ Eccleſiæ illius. At Arminianis hodie aliter videtur. Docent enim, hoc non eſſe Religionem profiteri cœtus ſeu Eccleſiæ illius quam pro impuro habet, quando quis in eâ manet, & ſacris illius participat; atque interim diſſimulat ſuam opinionem & eam non declarat: id quippe eſſe ſaltem tolerare ſententiam diverſam vel contrariam. Hoc autem tantum eſſe profiteri Religionem cœtus impuri, quando quis verbis publicè profitetur ſententiam illius cœtus contra mentis ſuę dictamen. Dixeram ego Arminianos docere, debere aliquem interdum profiteri Religionem aliquam, quam in corde ſuo credit aut ſcit eſſe falſam. Hic, ut illi veritatem hujus querelæ effugiant, dicunt, manere in cœtu aliquo impuro & diſſimulare ſuam ſententiam non eſſe profiteri Religionem illius. Ita enim lib. 2. vindic. c. 2. p. 69. Nec *agitur* (ab Arminianis) *de profeſſione*

feſſione Religionis ſeu ſententiæ propriæ quæ contra animi ſententiam fiat, ſed tantùm de manſione in cœtu impuro, ſive ea conjuncta ſit cum diſſimulatione ſententiæ propriæ, ſive cum profeſſione eius & contrariæ aut diverſæ toleratione. Hæc quàm longè inter ſe diſtent, quis non videt? Aliud eſt diſſimulare ſententiam & tolerare diverſam vel contrariam; aliud profiteri ſententiam aliquam contra mentis ſuæ dictamen. Nec ſuadetur hîc diſſimulatio, ſed tranſitio tantùm ſcandaloſa diſſuadetur, ſive fiat ut quis ſcientiam veritatis illius quam purè doceri audit in alio cœtu, diu diſſimulaverit tolerando contrariam in gratiam pacis & concordiæ, ſive fiat ut quis ſcientiam iſtam profeſſus ſit & diſſenſionem ſuam publicè teſtatam fecerit, paratus tamen in cœtu iſto manere ſi per cœtum liceat. Quæ opinio quò tendat, unuſquiſque videt. Ita enim v. g. ex Arminianis illi qui ſe in noſtros cœtus ingerunt, & diſſimulant ſententiam ſuam, non poſſunt accuſari ſimulationis, fraudis ac imposturæ; quandoquidem tunc ſecùndùm Arminianos non profitentur noſtram Religionem, ſed eàm tantùm tolerant: tunc demum autem eam profiterentur ſi ſententiã noſtram in Controverſis dogmatis contra mentis ſuæ dictamen profiterentur. Itaque etiam ex eo dogmate vident Reformati quâ machinâ Arminiani miniſtri utantur ut ad ſcopum ſuum tàm in Religione quam in Republicâ perveniant; & intelligunt quantopere occaſionem habeant cavendi ſibi in poſterum magis ac magis ab artibus horum hominum. Interim obſerva futilitatem eorum, dum audent dicere non ſolum plures ſed etiam unum aliquem, qui in cœtu aliquo eſt à quo diſſentit ac interim ſententiam ſuam diſſimulat TOLERARE cœtum ſeu ſententiam illius cœtus, & id quidem in gratiam pacis & concordiæ. Hoc profectò non eſt tolerare ſed ſilentio ſuo approbare, ac ſimulatorem & hypocritam agere. Cui accedit quod non plures ab uno ſed unus à pluribus toleratur, niſi is unus cæteris ſimul ſumtis potentior ſit & ſuperior.

2. Hactenus credidit Eccleſia officium eorum, qui è tene-

bris idololatriæ & ſuperſtitionis emerſêre, requirere ut ſibi caveant à novâ Religione h.e. novâ ſectâ erigendâ. At Arminiani docent Chriſtianum teneri erigere novam ſectam, quando aliquod dogma profert propter quod nullus alius cœtus eum vult tolerare. Ita enim eodem capite ſecundo p. 77. *Chriſtiano cuivis licet conſenſionem ſuam profiteri cum cœtu in iis in quibus cum eo conſentit, tolerando aut diſſimulando ea in quibus cœtus ille ſeorſim ab eo ſentit ſi neceſſaria non ſint, aut ſi cœtus ille ut neceſſaria non urgeat, eaque omnibus cœtus iſtius membris pro neceſſariis haberi non jubeat. Hoc enim ſi fiat, deſerendus eſt cœtus iſte & quærendus purior, aut erigendus novus, in quo juſta neceſſariorum dogmatum diſtinctio à non neceſſariis locum habeat.* Quibus ultimis verbis, *in quo juſta* &c. hoc ſibi volunt, ejuſmodi hominem debere cœtum erigere novum talem in quem recipiat eos qui ſententiam ipſius non damnant, etſi eam pro verâ non habeant, nec non in aliis quæ non neceſſaria videntur, diſſentiant ab ipſo. Hoc ſcilicet eſt ſtudium illud pacis & ſarciendi omnia Schiſmata Chriſtiani orbis, de quo hi homines tantopere hactenus auſi fuerunt gloriari. Quis enim non videt hac ratione unicuique Tyroni in Theologicis feneſtram aperiri ſomnia ſua quæ verbo Dei & rectæ rationi credit convenire venditandi, & Eccleſiam in infinitas partes lacerandi.

3. Hactenus credidit Eccleſia ex verbo Dei eos tantum qui veritatem ſanguine ſuo obſignant, non autem idololatriam & errores alios fundamentales, ſalvos fieri: item in illis magnum divinæ gloriæ veritatis & bonæ conſcientiæ amorem fuiſſe, qui nec atrociſſimę mortis metu, nec vitę hujus tranquillæ aut commodę ſpe potuit ſuffocari; his autem fuiſſe magnum idololatriæ & falſitatis amorem, ac ſummam pertinaciam. At Arminiani docent etiam eos qui pro idololatriâ Pontificiâ & aliis erroribus fundamentalibus ſanguinem profuderunt ſalvos eſſe; magnumque divinæ glorię, veritatis, & bonæ conſcientiæ amorem in illis fuiſſe. Ita enim ibid. p. 80. *Precioſus eſt ſanguis Martyrum*

tyrum in oculis Domini. Sanguinem tantum abeſt ut vilipendam, ut contrà, etſi credam cum Theologis omnibus non ſupplicium ſed cauſam facere Martyrem, nihilominus tamen credere malim, ſi qui fortè in mediis Pontificiis tenebris iſtam ſcientiæ exactæ lucem non habuerunt, ut inter neceſſaria & non neceſſaria dogmata accuratè diſtinguere potuerint (quales an unquam Martyrio adfecti ſint, abſit ut ego adſeram) & tamen ſanguine ſuo eam quam adhibitâ omni diligentiâ & curâ judicabant neceſſariam veritatem eſſe obſignârunt; iis clementiſſimum ac benigniſſimum Deum iſtam eorum ignorantiam condonâſſe, ob ſolam iſtam innocentiæ conſcientiam, & bonæ conſcientiæ amorem, quem vitæ ſuæ, ad gloriam Dei præpoſuerunt. (Magnus enim divinæ gloriæ, veritatis, & bonæ conſcientiæ amor fuerit neceſſe eſt, quem nec atrociſſimæ mortis metus, nec vitæ hujus tranquillæ ac commodæ ſpes potuerit ſuffocare) ut hoc, inquam ego, credere malim, quam ut eos cœleſti hæreditate & æternæ vitæ præmio indignos judicatum iri adſeram. Quâ ratione annon excuſatio parata ſit doctrinæ & praxi parricîdali Ieſuitarum & ſimilium, qui ſanguine ſuo obſignârunt hoc dogma quod neceſſariam veritatem putant; Confeſſori nimirum Ieſuitæ aut ſimilibus hominibus in negocio pietatis & ſalutis neceſſario obediendum eſſe, qui docent Regem vel Principem Tyrannum aut Hæreticum è medio tollendum eſſe; unicuiquè ſapienti dijudicandum relinquo. Pro quâ enim re parricîdæ diverſi Regum ac Principum in Galliâ, Angliâ, Belgio vitam ſuam periculo expoſuerunt certiſſimo, & contemſerunt mortem atrociſſimam? Certè pro totâ doctrinâ Pontificiâ & ſpeciatim pro dogmate iſto parricîdali & illius praxi quam æquè ac ipſum dogma neceſſariam eſſe putabant omni adhibitâ diligentiâ & curâ, qualis eſt diligentia & cura illa quam Arminiana Theologia docet. Et habebant magnũ iſtum amorem divinæ gloriæ, veritatis, & bonæ conſcientiæ quem habent ſecundùm Arminianos alii Pontificii qui pro idololatriâ ſuâ moriuntur aut mori poſſunt. Ac profectò ſi quis in errore uno fundamentali, item in pluribus quales in Papatu eſſe

Arminani ipſi dicunt, nec non in praxi errorum iſtorum ſpeciatim in idololatriâ ejuſque praxi ſalvus fieri poteſt, certè etiam in aliis erroribus fundamentalibus eorumque praxi ſalvari poteſt, qualis eſt error & praxis hujus erroris, licere Principem ſeu Regem occîdere quem Tyrannum aut Hæreticum putas. Nec enim poteſt reddi vera & ſolida ratio cur is qui abſque uno, duobus, tribus &c. ſimpliciter neceſſariis ad ſalutem ſalvari poteſt, non poſſit etiam ſalvari abſque alio aliquo neceſſario ad ſalutem. Et experientia docet me verum dicere. Ex hoc enim principio factum, ut, cùm ante annos quaſi undecim Arminiani miniſtri aliquot, nec non alii ex ipſis conſpiráſſent in necem Laudatiſſimi Heroïs Principis Mauricii glorioſæ memoriæ, & everſionem Reipublicæ, non nemo ex reis profeſſus fuerit ſe circa id negocium conſcientiam ſuam ſedulò ſcrutatum eſſe & eam tranquillam circa id nefandum parricîdiū reperiiſſe; prout ex ſententiâ condemnatoriâ ejus videre licet. Habebat enim conſcientia ipſius & complicium hoc fundamentum; optimum illum Principem Tyrannum eſſe & Religionis ſuæ oppreſſorem, pro quâ conſervandâ quidvis tentandum ſit.

Deinde, paratam habet excuſationem, hac hypotheſi ſtante, Iſraëlitarum idololatria qui liberos ſuos Molocho ſacrificabant & comburebant in Dei honorem, ut putabant, & ex magno illo divinæ gloriæ, veritatis, & bonæ conſcintiæ ſtudio quod hîc vocant Arminiani: quem magnum amorem ſecundùm hos homines eſſe oportuit in illis idololatris, utpote quem nec inſenſiſſimus amor proprii fœtus, nec commiſeratio tenellarum & vagientium animularum potuit exſtinguere. Nec excipere poſſunt Arminiani: iſtorum Iſraëlitarum idololatriam ῥητῶς damnari in Scripturâ. Nam idem ipſi dicunt in his Vindiciis de Pontificiorum idololatriâ, ſpeciatim lib 1. c. 8. p. 44. ex. gr. *An idololatria ſit, ſi quis imaginem Dei aut Sanctorum formet & coram eâ ſe incurvet, genua flectat, eam adoret, eique ſupplicia ac vota ſua faciat. Hos enim ῥητῶς in Decalogo vetitum eſt, adeò clarè ut palpari*

poſsit

poſsit &c. Pudeat igitur hos profanos homines!

4. Hactenus creditum eſt ab omni Eccleſiâ; Martyres non eſſe niſi in verâ Eccleſiâ, & hanc ſolam triumphare Martyrio: item ſolis iis qui pro verâ, non autem pro falſâ Religione moriuntur, patientiæ & conſtantiæ laudem tribuendam eſſe. At Arminiani docent, dubium eſſe quæ ſecta aut Martyrum numero, aut patientiæ & conſtantiæ eorum laude triumphet. Ita enim poſtquam dixiſſent, quando quæſtio eſt de rebus fidei, non eſſe allegandum ſanguinem Martyrum verorum; (quales fatentur eſſe illos ex Reformatis qui à Pontificiis ob doctrinam Reformatam è medio ſublati ſunt) probant illud ex eo, quia aliàs cauſam juſtam habeant reliquæ ſectæ ſua dogmata erronea iſto argumento aſſerendi: *Et ſanè*, inquiunt in eodem cap. 2. p. 81. *non levem cauſam à nobis habent reliquæ ſectæ, cum iſto argumento erronea ſua dogmata adſertum eunt: hinc Martyrologiorum nec finis nec numerus. Et dubium eſt, quæ ſecta aut Martyrum, qui vocantur, numero, aut ſuppliciorum atrocitate, aut patientiæ gloriâ aut conſtantiæ diuturnitate triumphet ſupra cæteras. Quis Pontificiorum Martyrum catalogos percenſeat? Quis Anabaptiſtarum Martyrologiâ percurrat? Et Ariani myriadas martyrum ſuorum allegant; & qui non?* Ubi neminem moveat, quod dicunt *Martyrum qui vocantur* &c. Nam eodem modo loquuntur de illis, quos pro veris Martyribus habere ſe profitentur eâdem pag. 81. & 82. & dicunt ſe eâ limitatione (QVI VOCANTVR) Martyribus non adimere laudem veri Martyrii, ſed aliud ſibi velle, quemadmodum in ſecundo capite lib. 2. part. IV. videbimus.

CAP. III.

Alia dogmata eorum nova; de Pura Antiquitate Eccleſiaſticâ; ex cap. 3. Vindic. lib. 2.

Dogmata Arminianorum: 1. *Quando quæſtio eſt de*

puræ antiquitatis teſtimonio circa dogma fidei ſeu ſenſum ſcripturæ, tunc puritatem antiquitatis non poſſe æſtimari ex verbo Dei. 2. Ideò puræ antiquitatis ſuffragium non eſſe opponendum Antitrinitario, quia Antitrinitarius pari jure antiquitatem puram & verbum Dei pro ſe obtendet. Obiter deciſa quæſtio, an Antiquitas tota conſenſerit contra Arium.

1. CRedidit hactenus Eccleſia, quando teſtimonium antiquitatis circa dogma aliquod fidei allegatur, puritatem antiquitatis æſtimandam eſſe ex verbo Dei, etiamſi de verbi Dei interpretatione quæratur. At Arminiani docent, quando quæſtio eſt de puræ antiquitatis teſtimonio circa dogma aliquod fidei, tunc puritatem antiquitatis non poſſe æſtimari ex verbo Dei, idque eo prætextu, quia de verbi Dei interpretatione controverſia ſit. Ita enim cap. 4. p. 86. *Puritas enim illa Antiquitatis unde æſtimabitur? An ex verbo Dei? At de verbi Dei interpretatione hîc quæritur.* Item: *At tota illa Antiquitas, inquiet, impura fuit: pauci illi puri. Cur? quia, inquit ineptus Vedelius, cum verbo Dei conſenſerunt. At, inquam ego, de interpretatione verbi Dei quæritur.* Egregia verò probatio: Quaſi verò verbum Dei non ſe ipſum explicet vel in eodem loco de cujus interpretatione quæritur, vel in alio, vel in utroque ſimul.

2. Credidit etiam Eccleſia in eâdem materiâ non præjudicare Orthodoxis poſſe, quamvis Antitrinitarii, ſpeciatim Ariani, puræ antiquitatis falſo pætextu ſeſe involvunt, & puræ antiquitatis prætextui verbi Dei prætextum addant. At Arminiani docent, ideo puræ antiquitatis ſuffragium opponendum non eſſe Antitrinitario v.g. Ariano, quia Arianus etiam pari jure antiquitatem puram pro ſe allegabit & verbum Dei obtendet. Ita enim ibid. p. 87. *Pone antiquitatem totam conſenſiſſe contra Arium, uti reverâ conſenſit, ſed cum eo conſenſiſſe tredecim aut quatuordecim*

tuordecim Epiſcopos ſeu Presbyteros: Allegabis tu Vedelie puræ antiquitatis conſenſum uti hic facis? Ille viciſſim paucos illos allegabit, ſed puros eos, ſeu puram antiquitatem vocabit. Cur, inquies? Pari jure quo tu ſupra. Numerus enim puritatem non facit: ubi ſtabis? ubi puritatis definitio reperietur? in verbo Dei inquies; Ineptè; Nam Arius idem dicet & verbum Dei ineptè à te citari ex puræ Antiquitatis ſenſu probabit. Tu contra. Quis finis? Vide Theologiam horum hominum! Certè, ſi hoc locum habet, tunc ob eandem cauſam Hæretico verbum Dei non erit opponendum: nam & ipſe id pro ſe allegabit. Obſerva autem, quod hîc dicunt totam Antiquitatem reverâ conſenſiſſe contra Arium: quod ſi verum eſt ut eſt, itaque falſiſſimum eſt, quod dicunt tum lib. 1. Vindic. c. 7. p. 38. totam antiquitatem non conſenſiſſe contra Antitrinitarios, & ſpeciatim contra Arium, tum hoc ipſo capite ſecundo Vindic. p. 84. *Magno judicio opus eſt, ut quis Antiquiſſimorum Scriptorum, inprimis qui Concilium Nicenum præceſſerunt, mentem ac ſententiam de Trinitate pervideat. Non pauca nec obſcura indicia paſſim reperire eſt, quæ eos vel Arii, vel Platonis, vel neſcio quam peculiarem de divinis perſonis opinionem habuiſſe teſtatum faciunt.* Hoc falſum eſſe patet jam ex Confeſſione propriâ ipſorum Arminianorum; qui non meminerunt mendacem debere eſſe memorem. Cui accedit Confeſſio ipſius Arii & Arianorum, qui agnoſcebant antiquitatẽ præcedentem contra ipſos ſenſiſſe. unde dicebant μὴ χρῆναι ἀβασανίστως τῶν παλαιοτέρων Sozom.
δόξαις ἕπεσθαι *non decere quenquam ſequi ſine examine antiquiores* lib. 1. c.
ſententias, ut apud Sozomenum videre eſt: & contemnebant 16.
veterum auctoritatem quam Orthodoxi contra novitates allegabant, teſte Alexandro Alexandrino Epiſcopo in Epiſt. ad Alexand. Conſtantinopol. οἵγε οὐδὲ τῶν ἀρχαίων τινὰ συγκρίνειν ἑαυτοῖς Theod. lib.
ἀξιοῦσιν. *qui (Ariani) etiam neminem non ex antiquis Patribus* 1 c 4.
præ ſe contemnunt, inquit Sanctus ille vir in Epiſtolâ eâ quam apud Theodoritum videre eſt.

CAP. IV.

CAP. IV.

Arcana nova Arminianorum de Hæreſi, ex cap. 4. lib. 2. Vindic.

Dogmata Arminianorum: 1. *Opus quoddam carnis, ſpeciatim Hæreſin & Pertinaciam, quam Pontificiis ipſi Arminiani tribuunt, eſſe opus carnis ſed in benigniore ſignificatu.* 2. *Errorem Hæretici, etiam illius quem ipſi pro Hæretico habent, in ſe non eſſe peccatum; item non errorem, ſed affectum vitioſum conſtituere Hæreſin.* 3. *Hæreticos ideò innocentiſſimos homines eſſe, quia nemini nocet Hæreſis ipſorum, quàm iis ſolummodò qui aut nullâ aut admodum exiguâ reverentiâ ſcripturarum & ſalutis ſuæ cura ducuntur.* 4. *Quando quis ab Hæretico ſeducitur, id imputandum non eſſe ſeductori ſed tantùm ſeducto.* 5. *Meritò dubitandum eſſe, maiuſne malum ab Hæreticorum hæreſi metuendum ſit, an ab exemplo vitæ, bonum ſperandum.* 6. *Hæreticos ob vitæ innocentiam Orthodoxis exemplo eſſe & penè miraculo.* 7. *Hæreticorum errori ob pietatem quâ aliis pene miraculo ſint, neſcio quid non condonandum eſſe.* 8. *Errorem Hæreticorum perdere aculeum ſuum ob ſtudium vitæ emendatioris quod in illis ſit* 9. *Vnumquemque poteſtatem habere Hæreticos cenſendi & judicandi quos vult.* 10. *Hæreticos, quando Hæreſeos rei aguntur, idem jus habere in eos qui ipſos Hæreſeos damnant.* 11. *Hæreticos & rectè ſentientes pares eſſe.* 12. *Turbationem Reipublicæ non proficiſci ab Hæreticis, ſed à Paſtoribus & populis*

Orthodo-

thodoxis. 13. Non ſolùm quaſdam ſectas ſed omnes omninò tolerandas eſſe. 14. Dubitandum non eſſe quin homo cum quodam opere carnis, ſpeciatim Hæreſi, ſine reſipiſcentiâ veniam à Deo conſequatur & ſalvetur. 15. Hæreticum ſimplicem, fictionem potiùs Theologicam quàm rem eſſe. 16. Hæreticum quò pertinacior ſit & magis ſeducere alios laboret, eò minùs odio dignum eſſe. 17. Si Antitrinitariorum pietas ſuſpecta ſit, mereri Orthodoxorum pietatem ut pari ſuſpicione gravetur. 18. Antitrinitarios eſſe pientiores Orthodoxis.

1. CRedidit hactenus Eccleſia tota, opus omne carnis, ſpeciatim Hæreſin & pertinaciam Hæreticam (ſermo nobis ſemper eſt de Hæreſi & Hæreticis verè ſic dictis) eſſe rem atrociſſimam & coram Deo inexcuſabilem. At contra Arminiani docent, opus quoddam carnis; ſpeciatim Hæreſin & pertinaciam, quam Pontificiis tribuunt, eſſe opus carnis in benigniore ſignificatu. Ita enim capite quarto Vind. lib. 2. p. 97. de Hæreſi illâ, quam opus carnis eſſe profitentur, loquentes, inter alia dicunt: *Solos Pontificios vide. Quanquam manibus palpant, oculis ſuis vident, linguâ guſtant, naribus odorantur, omnibuſque adeò ſenſibus ſuis percipiunt, panem poſt conſecrationem eſſe & manere panem, nihilominus tamen remis veliſque contendunt panem non eſſe, & ſuos ſenſus omnes falli ac decipi malunt credere, quam præjudicium exuere. Pertinaciam meritò hîc eſſe dixeris, benigniore tamen ſignificato.* Quod autem ſit hoc benignius ſignificatum explicabunt poſtea in eodem capite ſuo p. 107. 108. ubi contendunt Hæreticos cum Hæreſi illâ ſuâ (quam opus carnis eſſe profitentur Arminiani) ſalvari poſſe, & excuſationem ac veniam mereri apud Deum errorum illorum. Annon hoc eſt Deo & hominibus illudere? opus ſcilicet carnis eſſe aliquod in mitiore

ſignificato. Certè hæreſis, quia opus carnis eſt, meritò vocatur à Synodo Illyricâ ſub Valentiniano & Valente apud Theodoretum *vetus homo contrarius novo*, in Epiſtolâ Synodicâ ad Epiſcopos Aſianos, ubi hortantur eos qui hæreſi Arianâ infecti erant ut renuncient illi, ac dicunt: ἀποθέμενοι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον ἐνδύσασθε τὸν καινὸν *exuite veterem hominem atq; induite novum*. Sic igitur ſecundum Arminianos dabitur quoq; vetus homo in mitiore ſignificato. Sic cum opere aliquo carnis, cū vetere homine ſine præcedente reſipiſcentiâ aliquis ſervabitur. Rurſus annon hoc eſt illudere Deo & hominibus; dicere Hæreſin eſſe opus carnis; & tamen hominem perſeverantem in eo opere carnis ſalvari poſſe?

Theod. lib. 4 c. 8.

2. Hactenus credidit etiam tota Eccleſia errorē ipſum quem errat Hęreticus, peccatum eſſe graviſſimum, non tantum ambitionem, vindictæ cupiditatem, aut alium affectum quo Hæreticus impulſus errorem iſtum invenit aut ſequitur. Credidit quoque, errorem etiam ipſum ſeu falſitatem quâ imbutus eſt Hæreticus, efficere Hæreticum. At Arminiani docent errorem eum quem errat Hæreticus in ſe non eſſe peccatum; item errorem ipſum nullo modo conſtituere Hæreticum; ſed ſaltem affectum pravum Hæretici eſſe peccatum, & non errorem ſed eum affectum vitioſum conſtituere Hæreticum. Ita enim p. 98. *Remonſtrantes agnoſcunt quidem nobis licere ſtatuere eſſe aliquem carnalem affectum in cauſâ, qui facit ut error iſte hæreſis ſit quam fugere debemus, nam eſt opus carnis manifeſtum juxta Apoſtolum: ſed quis ille affectus ſit, an præjudicium, an cupiditas gloriæ, an propriæ opinionis amor, an ſtudium contradicendi, an malitia &c. dicunt noſtrum non eſſe ſtatuere, ſed hoc Deo committendum eſſe, qui ſolus de eâre certò ſtatuere & judicare poteſt.* Hoc ſi verum eſt, id eſt, ſi affectus tantùm non autem error ipſe peccatum eſt, & hæreſin conſtituit; quâ igitur conſcientiâ Arminiani dogmata noſtra de prædeſtinatione & annexis articulis vocant *errores qui Deum & pietatem lædunt* in Reſponſ. ad Excerp. p. 36. & hinc in-

hinc inde in aliis ſuis ſcriptis. Unde patet hos homines *αὐτοκατακρίτους* ſeu ex proprio ore ſuo condemnatos eſſe etiam in hac parte. Patet etiam eos eò redactos eſſe, ut neſciant amplius quid dicere poſſint: & variare atque inflectere doctrinam & judicium ſuum de erroribus pro lubitu ſuo & prout cauſæ ſuæ deſperatæ expedire putant. Contra, rectè & ſecundùm verbum Dei, modò laudata Synodus Illyrica ipſum errorem Arianorum vocat *τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον veterem hominem*, ut vidimus. Et Hilarius ſenſum falſum de Deo eſſe crimen ait: *De* Hilar. lib. *intelligentiâ Hæreſis non de Scripturâ eſt, & ſenſus non ſermo ſit* 2. Trinit. *crimen.* Ratio: eſt enim mendacium, eſt temeraria uſurpatio nominis divini; eſt dicere *Dominus dicit cùm tamen Dominus non dixerit*, ut eſt apud Ezechielem. Alia argumenta brevitatis cauſâ omitto.

3. Credidit etiam hactenus Eccleſia, ideò periculoſiſſimos eſſe Hæreticos, quia Hæretici non ſolum illis qui nulla exigua Scripturarum reverentia & ſalutis cura ducuntur; ſed etiam iis periculoſa ſit, qui alioquin non contemnendos progreſſus in Religione fecerunt. At Arminiani docent, Hæreticos iis ſolummodo nocere qui aut nullâ aut ad modum exiguâ reverentiâ ſcripturarum & ſalutis ſuæ curâ ducuntur. Ita enim p. 100. inter alias ineptias quibus probare conantur Hæreticos eſſe homines innocentes imò innocentiſſimos & nihil periculi ab iis eſſe: utuntur etiam hoc argumento: *Nocere nemini poſſunt qui exercitatos in verbo Dei ſenſus habet ad dijudicationem veri à falſo; ſed iis ſolummodò qui aut nullâ aut admodum exiguâ Scripturarum reverentiâ & ſalutis ſuæ curâ ducuntur, quos an tales manere an per Hæreſin ſeduci gravior culpa ſit, quis dixerit?* At contrarium teſtatur experientia Eccleſiæ. Ita enim Apollinatiſtæ Hæretici ſub Gratiano ſimulantes Religionem & doctrinam Orthodoxam *τὴν προτέραν οὐκ ἀπέθεντο νόσον καὶ πολλοὺς τῶν πάλαι ἐρρω-* Theod. lib. *μένων ταύτης ἀνέπλησαν morbum priorem non depoſuerunt, ſed eun-* 5. c. 1. *dem in animos multorum qui dudum fide robuſti ac valentes erant*

infuderunt, ut videre eſt apud Theodoritum. Sed id Arminiani docent eo fine, ut homines aſſueſcant negligere periculum quod ipſorum ſaluti ab Hæreticis imminet. Et ſiquidem verum eſt quod hîc docent; qua igitur conſcientiâ poſſunt dicere ſe ſtudio ſalutis hominum & ut eos eripiant periculo æternæ condemnationis oppugnare doctrinam noſtram de quinque articulis: Quare etiam ex hoc patet hos homines αὐτοκατακρίτους eſſe.

4. Credidit etiam Eccleſia tota ex verbo Dei: Quando quis ab Hæretico ſeducitur culpam quidem penes eum eſſe, ſed tamen ex alterâ parte etiam eſſe penes ſeductores, adeoque eos innocentes non eſſe. Unde *lupi rapaces* vocantur ab Apoſtolo, qui certè innocentes non ſunt. At Arminiani docent: Quando quis ab Hæretico ſeducitur, id imputandum non eſſe ſeductori ſed tantum ſeducto; ſeductorem autem eſſe innocentem. Ita enim eâdem p. 100. ubi probant Hæreticum eſſe innocentem: *Quicquid ſit, qui ſeducuntur ſibi ipſis id imputent. Hæreſis non affricatur. Nemo ferè ſeducitur, niſi qui ſe ipſum ſuâ culpâ ſeductioni opportunum facit. Hæreticus nemini invito aut nolenti nocet. Qui vult non ſeduci aut ſeriò curat ne ſeducatur, is non facilè patet ad ſeductionem.* Et probant ea ratione, ut dixi, Hæreticum eſſe innocentem.

5. Credidit etiam Eccleſia tota Hæreticos adeò pernicioſos eſſe, ut quemadmodum doctrinâ ſuâ ſaluti animarum nocent, ita etiam vitę ſuæ exemplo nemini prælucere poſſint, quandoquidem ubi vera fides non eſt, ibi non poteſt eſſe vera pietas & ſanctitas, ſed tantùm ibi eſt Hypocriſis & ſpecies ſanctitatis. At Arminiani docent; eadem p. 100. *meritò dubitandum eſſe, majusne malum ab Hæreſi eorum metuendum ſit; an ab exemplo vitæ, bonum ſperandum?* At Scriptura docet, ab Hypocriſi bonum nullum ſperandum eſſe; Item, hypocriſin non debere eſſe exemplum vitæ Chriſtianæ. Jam autem Hæreticorum verè ſic dictorum, quales ſunt Sociniani & aperti & ſimulatores, vita non eſt niſi mera Hypocriſis, ſpecies & larva pietatis; quandoquidem carent

verâ fi-

verâ fide in Ieſum Chriſtum, & loco veri Dei idolum mentis ſuæ venerantur à ſuo cerebro confictum, adeoq; idololatræ ſunt.

6. Credit etiam Eccleſia, Orthodoxorum, verè piorum non autem Hæreticorum vitam debere eſſe exemplum in quod intueri debemus. At Arminiani docent Hæreticos ob vitæ innocentiam Orthodoxis exemplo eſſe & penè miraculo. Ita enim ibidem, cum dixiſſent multum boni redundare ad Orthodoxos ab exemplo vitæ Hæreticorum, addunt: *profectò vitæ innocentia admirabiles vires habet, & qui per errorem vel cum errore in eâ adeò proficit ut aliis exemplo ſit & penè miraculo, eius errori neſcio quid non à nobis condonari poſſit ac debeat.*

7. Credit etiam tota Eccleſia Hæreticos ob vitæ ſanctæ ſpeciem, quæ ſola in iis eſt, innocentes æſtimari non debere. At Arminiani docent, Hæreticorum errori, ob vitæ pietatem quâ ad miraculum uſque excellant, neſcio quid non condonandum eſſe. Cum enim dixiſſent Hæreticum tantopere in pietate proficere ut aliis exemplo ſit & penè miraculo; addunt ut vidimus ſectione præcedente, *ejus errori neſcio quid non à nobis condonari debere.*

8. Credit etiam Eccleſia errorem Hæreticorum non poſſe non exitialem eſſe Hæretico, utut vitæ emendatiori in ſpeciem ſtudeat; adeoque aculeum Hæreſeos non perdi niſi per ſeriam reſipiſcentiam. At Arminiani docent. Errorem Hæreticorum perdere aculeum ſuum ob ſtudium vitæ emendatioris: *Perdidit,* inquiunt ibidem, *aculeum ſuum error qui vitæ emendatioris ſtudium non poteſt exſtinguere.*

9. Credit etiam Eccleſia tota non licere unicuivis Hæreticum cenſere & judicare quem vult. At Arminiani dicunt unumquemque poteſtatem habere cenſendi & judicandi Hæreticos quos vult. Ita enim p. 104. *Nec vobis nec iſtis adimo poteſtatem judicandi de Hæreticis. Cenſete, judicate Hæreticos quos vultis.* Et non addunt cautelam hanc, videndum eſſe an id jure fiat: ſed ſaltem ham cautelam addunt: nimirum, cavendum eſſe ne ideò

 animad-

animadvertatur in Hæreticos: *At hoc judicium*, inquiunt, *veſtrum nego ſufficere ut propterea in iſtos tanquam Hæreticos animadvertere aut debeatis aut jure poſſitis.*

10. Similiter etiam contra id quod tota Eccleſia credit, docent Arminiani; Hæreticos quando Hæreſeos damnantur & ideò ſeceditur ab iis, idem jus habere in alios omnes qui eos Hæreſeos damnant. Sic enim eâdem p. 104. *Oſtendite vos puros eſſe ab erroribus eorum per ſeceſſionem & ſegregationem veſtri ab iis & eorum cœtibus. Sed idem illis liceat, ſi vos Hæreticos cenſeant. Cur enim illis minus liceat quam vobis?* Et p. 106. *An exiſtimat Vedelius, iſtis idem jus non eſſe eodem ſcommate contra ſe utendi, quo hic ipſe contra Hæreticos utitur, & ſi voluntati reſponderent vires, quo contra iſtos ipſos uſurus eſſet? Sententias hic non comparo; ſed agendi modum ac jus, quod utrobique æquale eſſe cenſeo. Nec enim minus Vedelius peſtilens ac noxius medicus Pontificio eſt, quam Vedelio Pontificius aut quivis alius ex familiâ Hæreticorum.*

11. Hoc autem docent ex hoc fundamento; quod Hæretici & rectè ſentientes pares ſint. Ita n. p. 104. *Iudicium veſtrum lex vobis eſt, non illis, uti eorum judicium lex ipſis eſt, non vobis: Par in parem non habet imperium.*

12. Docent præterea, quod profectò etiam horrendum & intolerabile eſt, Turbationem Reip. non proficiſci ab Hæreticis, ſed à Paſtoribus & populis Orthodoxis. Ita enim p. 105. *Sed hoc eſt quod diximus; Turbatio non eſt ab Hæreſibus, ſed ab hujuſmodi tribunitiis contra Hæreticos Oratoribus, qui cùm ſoli ſe ſapere credant ac proinde nullos à ſe diſſenties ſine odio ferant, hoc ferè unum agunt, ut odia ſua transfundant in promiſcuam plebem, quæ vatibus ſuis impendiò addicta & cæco ferè ac præcipiti ſtudio fervens, odiis deinde iſtis veluti flabellis inflammata facile in rabiem ac furias agitur. Ab iſto vento, motus, turbæ ac tempeſtates in populo excitantur: abſque illis follibus, malacia eſſet in Rebuſpublicis & Halcyonia in orbe Chriſtiano.* Quæ quanta injuria ſit & petulantia adverſus totam veterem & modernam Eccleſiam Orthodoxam

(cui imputant hi homines ac ſi Hæreticis non ſtudio veritatis divinæ, amore gloriæ Dei, & ex officio quo tenentur abigere lupos à grege Dominico; ſed ex merâ δοκησισοφίᾳ & ſuperbiâ ſe oppoſuerit atque opponat) unicuique dijudicandum relinquo. Et mirabitur jam aliquis petulantiam quâ iſti homines contra me in Vindiciis ſuis uſi ſunt?

13. Inſuper docent, non ſolum quaſdam ſectas ſed omnes omninò tolerandas eſſe. *Quia verò,* inquiunt p. 107. *hodie multi Hæretici cenſentur qui non niſi errore tum ipſis tum aliis innoxio tenentur, cæteroquin probi, pii, & publicæ honeſtatis retinentiſſimi, qui peccatoribus opponi merentur, hinc eſt quod* (Remonſtrantes) *errantes* OMNES *tolerari velint.* Similiter p. 167. *Quid criminis in eo eſſe poteſt, ſi Remonſtrantes in libertate iſtâ patriâ nati atque educati* OMNIBVSQVE *ſubditis veſtris parem libertatem optantes profiteantur, eos qui* &c. Ex quibus patet eos illudere tantùm lectori, quando in præfatione vindic. f. 5. p. b. dicunt ſe ſaltē *diverſis* adeoque tantum *quibuſdam* ſectis libera exercitia Religionis indulgeri velle. Nam modò vidimus eos *omnibus* Hæreticis libertatem illam quam Orthodoxa Eccleſia habet indulgendam dicere.

14. Docent etiam, dubitandum non eſſe, quin Deus operi cuidam carnis, ſpeciatim Hæreſi, veniam dare & Hæreticos ſalvare velit ſine ullâ præcedaneâ eorum reſipiſcentiâ. Nam poſtquam p. 107. dixiſſent, quam illi ſic vocant Hæreſin eſſe opus carnis, & contendiſſent in *Hæreticos nihil triſtius decerni aut ſtatui debere quam in errantes*, adeoque iis anathema dicendum non eſſe; addunt p. 108. etiam Deum eis veniam dare, imo veniam eis deberi, & illos in opere iſto carnis ſalvos fieri: *Nec dubitandum eſſe*, inquiunt, *quin clementiſſimus Deus humanæ infirmitatis conſcius, eos errantibus condonaturus ſit, qui non raro ad lapſus quoſdam connivet, in quos nos noſtra præcipitat imbecillitas. Ad triſtem partem prona ac ſtrenua eſt ſuſpicio, caritas verò lenta ac tarda. Conſcientiæ ſtudium acres aliquando habet ſtimulos, & torrentis*

remis inſtar abripit errantes magnis affectibus ſed innoxiis, quos excuſare tutius eſt quam calumniari, aut rigidâ ſeveritate in crimen & culpam vocare. Et profectò hæc eſt communis omnium populorum vox: Errantibus veniam deberi; peccantibus pœnam. Quâ igitur conſcientiâ jam hi calumniatores doctrinam noſtram de quinque articulis calumniari ac traducere audent, ac ſi doceremus, *Bona opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem*; unuſquiſque honeſtus vis jam videt. Nos enim non docemus ſed deteſtamur toto animo iſtam doctrinam *Bona opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem*: item, hominem qui opera carnis facit & in iis perſiſtit ſalvari poſſe. At egregii hi homines docent hic expreſſe hominem in & cum opere quodam carnis ſpeciatim Hæreſi ſalvari poſſe, imò veniam *deberi* hæreſi à Deo. At Paulus expreſsè docet Galat. 5. 19. 20. 21. eos *qui opera carnis faciunt*, inter quæ ponit hæreſes, *regni Dei non fore hæredes*. Adeoque quantum ad hoc attinet, eandem rationem dicit eſſe omnium operum carnis. Quod ſi igitur unum faciens opus carnis non excluditur cœlo; certè etiam non excludetur eo committens aliud opus. Vides, pie lector, qualia monſtra hæc ſint; & tamen audent illi gloriari perpetuò de pietate, & nos calumnioſe traducere ac ſi doceremus *Bona opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem*. ô Deus confunde tandem iſta labia doloſa! Atque ex hoc jam apparet, quid ſibi velint in Confeſſione ſuâ cap. 7. *§. 6.* ubi dicunt eſſe quædam peccata quæ leviores lapſus dici mereantur, per quæ homo non excluditur à ſpe vitæ æternæ, licet ſe ab eorum aliquo nondum omnino exſolvat; ſi modò ſciens prudens in eo non maneat &c. ſed præſtat ipſorum verba audire: *Quædam peccata*, inquiunt, *ſunt talia, ut leviores lapſus potiùs dici mereantur quàm crimina; per quæ, juxta gratioſum Dei fœdus & paternam benignitatem non excluditur homo à ſpe vitæ æternæ; licet ſe ab eorum aliquo nondum omninò exſolvat: ſi modò ſciens prudens ſibi ipſi difficultatem non injiciat ab iis ſe exſolvendi, aut aliâ quacunque ratione in iis manendi: ſed quòd in illa incidit, per ſolam*

incogitantiam, fragilitatem, inadvertentiam aut ſubitam aliquam paſſionem contingat: ſive ex natura aliquo temperamento, ſive ex conſuetudine malâ, ſive ex improviſo aliquo caſu &c. id oriatur. Itaque ferè ſemper actus hic ab habitibus, &, in illo genere, imperfectiones ac fragilitates manifeſta ab iis actibus qui contra dictamen naturalis rationis aut ſupernaturalis revelationis expreſſum & praſens fiunt, & cum apertâ pracepti alicujus tranſgreſſione & injuriâ proximi ſunt conjuncti (praſertim ex Novi Teſtamenti ſenſu) accuratè diſtingnenda veniunt. Manifeſtum quippe eſt, ex Vindiciis præſertim ipſorum; hæc peccata ipſis eſſe nominatim hæreſes; quemadmodum contra, per actus qui contra dictamen naturalis rationis, item ſupernaturalis revelationis expreſſum & præſens, ac cum apertâ præcepti alicujus tranſgreſſione & injuriâ proximi fiunt, præſertim ex N. Teſtamenti ſenſu, intelligunt præcipuè doctrinam de coërcendis Hæreticis à Magiſtratu. Hanc enim doctrinam dicunt repugnare legi naturæ & præcepto expreſſo Dei, ſeu regiæ legi Novi Teſtam. de charitate erga proximum, & cum injuriâ proximi conjunctam eſſe.

15. Atque ad hunc locum pertinent monſtroſa illa dogmata de Hæreſi, quæ non ita pridem excluſerunt, etiam in Reſponſione ad Excerpta, ubi docent: Hæreſin ſimplicem fictionem potius Theologicam quàm rem eſſe. Ita enim in allegatâ Reſpons. p. 129. *Facilè,* inquiunt, *ex his tribus colligi poteſt primò, quòd ſimplex Hæreticus fictio potius Theologica ſit, quàm res aut juſta exceptio.*

16. Item quòd in eâdem pag. docent, Eò quò Hæreticus pertinacior ſit, (quod Arminiani vocant impenſius opinionem ſuam amare) & quò magis alios ſeducere conetur (quod illi vocant magis aliorum ſaluti atque æternæ felicitati ſtudere) eò minus eum odio dignum eſſe. Ita enim dicunt: *Hæreticus quâ Hæreticus mortis reus non eſt, errare, falli, decipi humanum eſt &c. Ex quo conſequitur, Quantò quis impenſius opinionem ſuam amat, ſive quia eam pracisè creditu ad ſalutem neceſſariam, ſive quia eam*

vehementer utilem ad pietatem eſſe ſibi perſuadet, & quantò magis aliorum ſaluti atque æternæ felicitati ſtudet, tantò eum minus odio dignum eſſe; proinde autores proſeminatoreſque hæreticæ alicujus opinionis, quos credibilius eſt ejus amore ſupra alios omnes duci, minimè omnium mereri ut ſupplicio mortis adficiantur.

17. Item quòd docent, ſi Hæreticorum, ſpeciatim Socinianorum, pietas ſuſpecta eſt, etiam Orthodoxorum pietatem mereri ut pari ſuſpicione gravetur. Ita enim ibidem p. 84. *At, inquies, expreſsè revelata credi debent ea omnia etiam, quæ per evidentem conſequentiam ex expreſſis deducuntur. Eſto; At an ea quæ iſti errantes non credere dicuntur, per evidentem conſequentiam ex Scripturis deducantur, controvertitur. Quare ſi pietas illorum ſuſpecta eſt, & veſtra pari ſuſpicione gravari meretur.*

18. Imò quod magis eſt, docent: Antitrinitarios magis eſſe pios iis qui aſſerunt ea dogmata Orthodoxa de myſterio Trinitatis quæ Hæretici blaſphemè oppugnant, neceſſaria eſſe ad ſalutem. Ita enim in eâdem p. 84. *Myriades ſunt iſtorum hominum, quos non ſcelerum tantum puros, ſed vitæ integros, divinæ Majeſtatis reverentes, ſuæ ſalutis nec prodigos nec incurioſos, quin imò audacibus iſtis aſſertoribus aut curioſis indagatoribus multò meliores eſſe fateri coguntur, ſi dicta ac facta illorum cum dictis ac factis horum comparentur.* Unde patet quos intelligant, quando dicunt in Apolog. & Vindic. Hęreticorum pietatem aliis exemplo eſſe debere. Intelligũt enim per *Hæreticos* ſpeciatim Antitrinitarios; & per *alios* intelligunt Orthodoxos. Hæc Arminiani docẽt & circa hanc rem: contraria autem omnia docet tota Eccleſia.

CAP. V.

Arcana nova Arminianorum circa dogma de mutuâ tolerantiâ; ex cap. 5. lib. 2. Vindic.

1. *Arminiani fatentur ſe eo nomine inter alia punitos eſſe, quia com-*

quia communionem colunt cum Antitrinitariis h.e. Socinianis. 2. *Docent, eam doctrinam quam quis putat verbi divini auctoritate niti, non poſſe eſſe impiam, etiamſi non ſolùm falſiſſima ſed etiam pernicioſiſſima ſit, imò t alis quâ tota ſocietas humana everti poſſit.* 3. *Fieri non poſſe, ut is qui doctrinam talem docet eo animo, quòd credat eam verbi divini auctoritate niti, impius ſit.* 4. *Quando quis repugnat mandato Dei, id non eſſe impietatem, ſi id mandatum controverſum ſit.* 5. *In doctrinâ Chriſti non pauca occurrere quæ opinioni falſæ & pernicioſæ ingenerandæ & fovendæ facere poſſunt.* Item : *Non pauca loca Scripturæ eſſe, quæ aliquem imprudenter in errorem faciunt incidere.* 6. *Aliquem non ſtatim habendum eſſe pro idololatrâ aut impio, qui doctrinam idololatricam aut impiam profitetur. Adeóque communionem meritò poſſe coli cum tali cœtu qui doctrinam idololatricam aut impiam profitetur.*

1. Conantur miniſtri Arminiani orbi perſuadere ſibi magnam injuriam factam & ab Illuſtriſſimis ordinibus generalib. & ab Eccleſiâ Reformatâ Belgii. Sed jam ipſi proprio ſuo indicio palàm faciunt, quàm juſtè in eos animadverſum ſit. Fatentur enim cauſam ob quam puniti ſint inter alias eſſe communionem eorum cum Hæreticis Antitrinitariis. Dixeram ego Arcan. lib. 2. c. 5. *Obſervetur Remonſtrantium eandem & olim fuiſſe, & nunc eſſe mentem ac ſententiam de mutua tolerantia in non neceſſariis dogmatis.* Reſpondent illi Vindic. lib. 2. c. 5. p. 108. *Ita eſt. In hac mente & ſententiâ etiamnum perſtant, læti & alacres, quòd tàm ſanum conſilium patriæ ſuæ & orbi Chriſtiano dederint, eâque de causâ tot gravia ac dura perpeſſi ſint.* Eâque de cauſâ &c. inquiunt. Quæ autem ſit ea cauſa, & quæ ſit iſta mu-

tua tolerantia ipſi exponunt in Apologiâ; nimirum quâ præcipuè Antitrinitarios h. e. Socinianos complectuntur & in Eccleſiam Dei introducere laborant. Ita enim in præfat. Apol. f. u. 1. b. & u. 2. a. poſtquam ſe ipſos exhortari fuiſſent ad communionem ſpiritualem excolendam cum Antitrinitariis, his verbis: *Amemus itaque, complectamur, exoſculemur eos quos hactenus ſectæ penè omnes implacabiliter oderunt, fugarunt, proſcripſerunt & omni malorum genere affecerunt* (ubi Socinianos ab ipſis intelligi oſtendi Arcan. par. 1. lib. 2. c. 5. & porrò patebit parte IV. lib. 2. c. 5.) & quidem ſeſe ipſos ad tàm præclarum ſcilicet opus exhortati fuiſſent ſub poenâ æternæ damnationis, contrâ verò ſub eâdem pœnâ prohibuiſſent communionem cum iis qui Antitrinitarios coërcent; addunt: *Scio, fratres, hæc vos mecum ita judicare & credere, atque* HOC NOMINE *inter alia ferre ac perferre tot adverſa, tàm gravia, tàm diuturna.* Eant jam & conquerantur ſe ob Schiſma ſolum quo Eccleſias Belgicas initiò turbarunt coërcitos fuiſſe: jam enim ipſi fatentur ſe ob communionem ſuam cum Antitrinitariis, h. e. execrandum ſtudium introducendi publicè blaſphemias eorum in Belgium, punitos eſſe.

2. Cæterum cùm tota Eccleſia credat doctrinam eam quam quis credit verbo Dei niti, reverâ tamen verbo Dei repugnat & ſummè noxia ac perniocioſiſſima eſt, impiam eſſe: per conſequens, eos qui doctrinam talem profitentur, impios eſſe: item, impios eſſe qui repugnant alicui mandato divino, nec obſtare quòd illud mandatum controverſum ſit ſeu oppugnetur ab errantibus: cum etiam tota Eccleſia credat, in verbo Dei nihil occurrere, quod falſæ opinioni ingenerandæ, producendæ, fovendæ facere poſſit: denique cùm eum Eccleſia pro impio habeat qui doctrinam impiam aut idololatricâ docet ac profitetur, etiamſi non fateatur aut non putet ſe impium aut idololatram eſſe, Arminiani contraria omnia docent. Etenim docent: doctrinam eam quam quis credit verbi divini auctoritate niti (quod

illi

iſti homines etiam vocant animo pio & religioſo credere) non poſſe eſſe impiam, etiamſi non ſolum falſiſſima ſed etiam pernicioſiſſima ſit: imò talis qua tota ſocietas humana everti poſſit. Dixeram ego doctrinam Socinianorum & Anabaptiſtarum quâ jus necis Magiſtratui eripiunt, *impiam* eſſe utpote de quâ ipſi Arminiani in Apolog. c. 12. f. 141. ita judicant ut dicant: *Actum eſt de auctoritate publicâ, de ſalute ſubditorum, ubi jus necis eripitur Magiſtratibus. Pauci ſcurræ evertendæ toti ſocietati humanæ ſufficerent.* Reſpondent illi cap. 5. p. 114. *Hoc palpabiliter falſum eſt.* Et addunt: *Doctrinam iſtam impiam eſſe quâ vel ſpecie dici poteſt? Falſa & noxia doctrina non ſtatim impia eſt. Et quæ impietas in ea eſſe poteſt? Nam nec ex animo impio oritur, ſed contra ex animo pio ac religioſo. Credunt enim non modò doctrinam iſtam divini verbi autoritate niti, alioquin eam non docturi; verùm etiam doctrinam iſti contrariam verbo Dei damnatam eſſe.* Quâ igitur conſcientiâ doctrinam noſtram de prædeſtinatione, tanquam ſummè impiam traducere?

3. Unde etiam conſequenter docent: Fieri non poſſe, ut is, qui doctrinam tàm falſam & perniciosam docet ideò quia credit eam verbi divini auctoritate niti, impius ſit. Ita enim modò allegatis verbis immediatè ſubiiciunt: *Fieri ne poteſt, ut, qui hac Religione & conſcientiâ ducti doctrinam ejuſmodi docent, impii ſint?*

4. Docent præterea: Quando quis repugnat mandato Dei, id non eſſe impietatem, ſi de eo mandato controverſia ſit. Ita enim p. 115. *Dices: ſupponit Vedelius, Deum gladii uſum mandaſſe Magiſtratui & eum eſſe mundi ſtatum, ut uſum gladii poſtulet. Fateor. At hoc ipſum, An Deus uſum iſtum gladii mandaverit in Novo Teſtamento, controverſum eſt. Quòd ſi vel κατὰ τὸ ῥητὸν vel κατὰ τὴν διάνοιαν evidentem liqueret mandati auctoritas, actum eſſet. At tantum abeſt, ut hi iſtud liquere credant altero iſtorum modorum; ut contrà gladii uſum olim in Veteri T. non conceſſum tantùm ſed & mandatum, jam in Teſtam. non modò non conceſſum, ſed & vetitum atque interdictum eſſe à Chriſto contendant, alioquin gladium*

dium non tantùm probaturi & laudaturi, ſed & uſurpaturi ad publicam quietem.

5. Docent etiam in doctrinâ Chriſti non pauca occurrere quæ opinioni falſæ & perniciosæ ingenerandæ & fovendæ facere poſſunt: item, non pauca eſſe loca Scripturæ quæ aliquem in errorem imprudenter faciunt incidere. Intelleximus eos doctrinam illam Socinianorum & Anabaptiſtarum quam ipſi pro falſa habent & alioquin ita de eâ judicant ut §. 2. vidimus. jam dicunt eadem p. 115. *Et ſanè fatendum eſt, eiusmodi quædam, eaque non pauca occurrere in doctrinâ Ieſu Chriſti, quæ iſti opinioni ingenerandæ & fovendæ facere poſſunt, & quæ ſufficere debent probis & æquis omnibus, ad eos qui iſti opinioni favent, excuſandum à crimine impietatis.* Et p. 116. *Atque hæc cauſa eſt, cur Remonſtrantes cum iis communionem ſe colere & bonâ conſcientiâ poſſe & libenter velle, quantum ad hoc dogma attinet, profeſſi ſint, imprimis cùm videant eſſe non pauca nec levia ſcripturarum loca, quæ eos imprudenter in errorem iſtum faciunt incidere.* Quæ profectò nec ſine blaſphemia dici, nec ſine horrore audiri poſſunt. Annon hoc eſt in Deum tranſcribere cauſam erroris, falſitatis, mendacii, adeoque peccati? Et tamen hi ſunt illi, qui omnia ſurſum deorſum in Eccleſiis Belgii verterunt eo prætextu calumnioſiſſimo & diabolico, quod Deum ſtatuamus auctorem peccati.

6. Inſuper docent, aliquem cœtum aut hominem non ſtatim habendum eſſe pro impio aut idololatrico, etiamſi doctrinam idololatricam aut impiam profiteatur, & communionem coli poſſe cum tali cœtu. Oſtenderam ego eos in Eccleſiam introducere velle omnis generis Hæreticos & ſectarios, etiam eos quorum doctrinam pro idololatricâ & ſummè impiâ habent, oſtenderam autem id inter alia ex eo, quia profitentur ſe ratione doctrinæ communionem velle colere cum Lutheranis ex quorum tamen doctrinâ de reali communione corporis & ſanguinis Chriſti dicunt naſci ac fluere horrendam idololatriam: item cum Reformatis, quorum tamen doctrinam

ctrinam de prædeſtinatione ſummè impiam eſſe dicunt. Illi reſpondent p. 117. *Remonſtrantes exiſtimant communionem coli poſſe etiam cum cœtu aliquo qui doctrinam docet ex qua apta nata eſt exiſtere idololatria, ſi modò ipſe actus idololatriæ iſti doctrinæ non cohæreat, imò ſi cœtus iſte adeò ab actu illo abhorreat, ut doctrinam iſtam deſerere malle ſe profiteatur, ſi ſine idololatriæ actu eam retineri non poſſe intelligeret, aut ſi quenquam ei idcircò adhærere velle sciret, ut idololatriæ actum ullum exercere poſſet.* item: *Remonſtrantes exiſtimant ſe communionem colere poſſe cum Calviniſtis non obſtante articulo de prædeſtinatione, ex quo, imò ex cuius vi ac genio, ad impietatem & profanitatem calcar ac ſtimulum non levem oriri perſuaſiſſimum habent, quia non obſtante doctrinâ iſtâ impietatem ipſam odio ſe habere profitentur, & ea docent quæ ad ſtimulum iſtum obtundendum & pietatem ex aliâ parte commendandum atque inculcandum comparata ſunt.* item: *Breviter, opinio ex qua idololatria fluere poteſt, neminem damnabit, niſi ea eum idololatrâ reddat. Actus enim idololatriæ ſive idololatria nos dicitur excludere ex regno cœlorum. Quod ſi ergò cœtus aliquis non obſtante iſtâ opinione, nihilominus ab idololatriæ actu ſe contineat, & idololatriæ omnis hoſtem ſe profiteatur; tantò profectò benignius de eo ſentiendum ac ſtatuendum eſt, quòd communione noſtrâ non ſit indignus.* Secundum hanc doctrinam nulla non idololatria palliari poteſt, & nec Turcæ nec Pontificii idololatræ ſunt. Nam ſi Remonſtrantes dicant: eos actum idololatiæ committere: paratū illi reſponſum habent ex propriis hypotheſibus Arminianorum, quarum vi negabunt eſſe actum illum, actum idololatricum.

CAP. VI.

Arcana nova Arminianorum de Synodis; ex cap. 6. Vindic. lib. 2.

1. Docent, *Oves non magis teneri obedire Paſtoribus ſuis in rebus*

in rebus fidei, quàm Paſtores ovibus. 2. Eccleſiam, etſi rectè ex verbo Dei dijudicârit controverſiam, jus tamen non habere ſilentium imponendi errantibus. 3. Eos omnes tolerandos qui non acceptant vera dogmata controverſa, modò profiteantur ſe credere verbis ſcripturæ prout jacent; atque ſuam cuique interpretationem liberam eſſe relinquendam. 4. Ea dogmata vera non eſſe deciſa à Deo in ipſius verbo quæ controverſa ſunt. 5. Synodos eas quæ ſilentium imponunt errantibus, qui dicunt ſe puris putis verbis Scripturæ inſiſtere velle, & interim rejiciunt dogmata vera controverſa, eſſe nihil aliud quàm conciliabula factioſorum hominum, qui ſuas res facere volunt. Eas verbum Dei ſaltem prætexere, reverâ autem mundanas & carnales cauſas habere. Eos omnes qui ſilentium imponunt errantibus qui phraſes ſcripturæ prætexunt quibus inſiſtere velint, omnium diſſidiorum ac Schiſmatum in Eccleſiâ auctores eſſe: item Tyrannidem humanam in Eccleſiam introducere. 6. Synodos omnes quæ non ſecundùm præſcriptum Arminianorum inſtituuntur, eſſe conciliabula pertinacium, Schiſmaticorum conventicula, Principum ac Magiſtratuum flagella, & ad pacem ac tranquillitatem publicam perturbandam Syncretiſmos, & confœderationes perniciosiores apertâ conſpiratione.

1. Credit tota Eccleſia ex verbo Dei, Doctoribus veræ Eccleſiæ teneri obedire oves, quando illi veritatem docent. Credit etiam Eccleſiam quando ex verbo Dei rectè judicat ac pronunciat, poteſtatem habere ſilentium imponendi errantibus: nec

bus: nec tolerandos eſſe omnes eos qui dogma verum controverſum acceptare nolunt eo prætextu, quòd puris verbis Scripturæ quæ nemo negat adhærere velint; ſed habendos eſſe pro Hæreticis, ſiquidem id dogma verum ſit ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, aut pro Schiſmaticis, ſiquidem dogmate illo analogiam fidei convellant; ac pro auctoribus diſſidiorum in Eccleſiâ ſi id pertinaciter contra fratres ſuos defendant. Credit etiam vera dogmata fidei ab ipſo Deo in verbo ejus eſſe deciſa, etſi in controverſiam vocentur ſeu negentur ab errantibus. Credit denique Eccleſia eas Synodos quæ ex verbo Dei rectè deciderunt controverſa dogmata more recepto in Eccleſiâ Orthodoxâ eſſe Synodos veras, legitimas, ſanctas, & quibus Spiritus S. præeſt. At Arminiani contraria omnia docent:

Primò enim docent, oves non magis teneri obedire Paſtoribus in rebus fidei quam Paſtores ovibus. Dixeram ego non cuivis ſine miſſione Eccleſiæ debere permitti jus judicandi in Synodo: quia judicare in Synodo ſit publicè docere ſeu judicare; publicè autem docere ad omnes homines non pertinet. Hanc evidentiſſimam veritatem, quam nemo hactenus negaverat, illi negant hoc argumento, cap. 6. p. 126. *Doctor quâ Doctor non credit, Doctor quâ ovis eſt credit. Doctor quâ ovis eſt credit. Iudicium itaque eius de rebus fidei non eſt judicium publicum ſed privatum, quod cum ſingulis ovibus commune habet. Par & æqualis judicandi poteſtas competit ovibus omnibus ac ſingulis. Nec magis judicio Doctoris in rebus fidei obſtringuntur oves, quam ovium judicio Doctores. Ordinis & honoris, at non juris aut poteſtatis privilegium habent Doctores ſupra oves, quando de rebus fidei judicium eſt faciendum.* Obſervandum autem eſt, quæſtionem eſſe de Doctoribus verè & ex verbo Dei docentibus. Quid igitur fiet de loco Apoſtoli Heb. 13. 27. *Obedite ductoribus veſtris & obſecundate: excubant enim ipſi pro animabus veſtris tanquam rationem redditûri; ut cum gaudio faciant & non ſuſpirantes: id enim eſt vobis inutile:* ut alia loca omittam. Sed quid mirum hos

homines ita ſentire de ovibus & Paſtoribus Orthodoxis: quandoquidem etiam par jus tribuunt Hæreticis & Orthodoxis.

2. Docent, Eccleſiam etſi non erret in decreto Synodico, ſed rectè ex verbo Dei judicet; jus non habere errantibus ſilentium imponendi. Ita enim p. 133. *Eccleſia itaque etiamſi credat ac pro certo habeat ſe in eo quod decernit non errare, imò etiamſi contingat ut in eo non erret, jus ſibi ſumere non debet aliis jubendi atque imperandi ut id verum eſſe credant; aut ſilentium imponendi, ſi fortè judicio iſti acquieſcere per conſcientiam non poſſint.* Permittendum igitur eſt Hæreticis, ut libere venena ſua ſpargant. Et hoc eſt quod hi homines volunt in toto opere Vindiciarum ſuarum.

3. Docent etiam omnes eos eſſe tolerandos qui non acceptant vera dogmata controverſa, modo profiteantur ſe credere verbis Scripturæ prout jacent; atque ſuam cuique interpretationem liberam eſſe relinquendam. (Credere autem verbis Scripturæ prout jacent, vocant illi acquieſcere deciſioni in verbo Dei factæ. Ita enim p. 133. improbant Orthodoxarum Synodorum præciſam quam ſic vocant deciſionem, quâ fit *ut pars altera etiamſi acquieſcat in deciſione prout illa in verbo Dei facta eſt, & non exiguam Synodi partem faciat aut facere poſſit ſi admittatur ad Synodum, præciſè damnetur & à tolerantiâ omni excludatur.* Et clarius, cum dixiſſem ego, Synodum Orthodoxam ipſam per ſe non decidere, ſed Deum antea litem in verbo ſuo decîdiſſe: reſpondent illi p. 134. *Atqui ſi Deus decîdit, cur deciſioni iſti non acquieſcitur? Cur non tolerantur qui iſti deciſioni acquieſcere parati ſunt? An verbum Dei non ſufficit ad controverſiæ deciſionem? an ſatis clarum non eſt? Si utrumque, quid deciſione novâ opus eſt?* Clariſſime ibidem: *Denique cùm verbum Dei ſenſum divinum ſic expreſſerit, ut interpretatione opus habeat, cur non relinquitur ſua cuique libera interpretatio? An exiſtimamus verba noſtra clariora eſſe quam ipſum verbum Dei? injuriam facimus atrocem verbo Dei, ſi id credimus. Quantò rectiùs & ſatiùs faceremus ſi pacem & concordiam*

cordiam aleremus, contenti utrinque iſtâ deciſione quæ in verbo Dei facta eſt, & relinquentes ſuam cuique interpretationem liberam? Et p. 141. dicunt *tutiſſimum eſſe ſtare & ſe continere intra Scripturæ S. locutiones & Spiritus S. formulas, neque cuiquam moleſtiam creari debere, qui intra eas continere ſe paratum eſſe oſtendit.* Vides, optime Lector, hos homines neſcire quid reſpondere debuerint veritati iſti à me propoſitæ & modò commemoratæ. Hoc enim ipſum eſt quod nos volumus; nimirum dicimus, quia dogma controverſum à Synodo Orthodoxâ ex verbo Dei propoſitum in verbo Dei continetur, adeoque ab ipſo Deo lis deciſa eſt; hinc, inquam, dicimus acquieſcendum eſſe iſti deciſioni; tolerandos eſſe ſeu potius pro veræ & Orthodoxæ Eccleſiæ membris habendos, qui iſti deciſioni acquiſcere parati ſunt: verbum Dei ſufficere ad deciſionem, nec opus eſſe aliâ aut nova deciſione. Sed hi homines perpetuò ludunt Sophiſmatis & fraudibus, ut malam & deploratam cauſam ſuam quovis modo incruſtent. Quid enim? anne illi qui verum dogma controverſum ab ipſo Deo deciſum, hoc eſt quod in verbo Dei continetur ſeu ſecundum Scripturas eſt, ut Apoſtoli phraſi utar, non acceptare volunt, deciſioni iſti acquieſcunt? Aut an talis deciſio Synodi Orthodoxæ quæ ab ipſo verbo Dei facta eſt, eſt deciſio nova?

4. Unde patet jam quid hi homines habeant pro deciſione à Deo ipſo in verbo facta: nimirum verba Scripturæ prout jacent, & quæ nemo negat: quemadmodum contrà non habent dogmata ea pro talibus quæ ab ipſo Deo deciſa ſint quando ea nō in terminis propoſita ſunt in Scriptura. Sic v.g. his ſimulatoribus Antitrinitariis eſt deciſiò à Deo ipſo in verbo ejus facta hęc; *Ieſus Chriſtus eſt Deus:* non autem hæc, *Ieſus Chriſtus habet naturam divinam.* item hæc, *Ieſus Chriſtus eſt filius Dei;* non autem hæc; *Ieſus Chriſtus eſt eſſentiæ eiuſdem cum ſuo Patre,* ſeu *ab æterno ex ſubſtantiâ Patris genitus.* item hæc, *Deus eſt Pater, Filius, Spiritus S.* non autem hæc; *In unâ eſſentia divina tres perſonæ, Pa-*

ter, Filius, Spiritus S. Hanc eſſe intimam & arcanam hactenus quidem mentem eorum patet manifeſtiſſimè ex verbis allegatis. Concilient jam hæc ſi poſſunt, cum eo quod dicunt in Vindiciis ſuis, dogmata controverſa neceſſaria per evidentem conſequentiam è Scriptura educi; & talia pro neceſſariis habenda eſſe: item, libertatem prophetandi eſſe permittendam tantum circa dogmata controverſa non neceſſaria. Hic enim expreſsè dicunt *contentos nos utrinque eſſe debere deciſione iſta quæ in verbo Dei facta eſt, & relinquere ſuam cuique interpretationem liberam.* item: *Cùm verbum Dei ſenſum divinum ſic expreſſerit, ut interpretatione opus habeat, cur non relinquitur ſua cuique libera interpretatio? An exiſtimemus verba noſtra clariora eſſe, quàm ipſum verbum Dei? injuriam facimus atrocem verbo Dei ſi id credimus.* Dicere non poſſunt hac ſua hypotheſi ſtante; id etiam eſſe verbum Dei ſeu à Deo decîſum, quod eſt dogma verum controverſum neceſſarium. Hoc, inquam, dicere non poſſunt. Nam verum dogma controverſum ſeu neceſſarium illud ſit, ſeu non neceſſarium, eſt interpretatio vera ſeu ſenſus verus verbi divini è Scriptura elicitus per neceſſariam ſeu veriſſimam conſequentiam. Jam autem illi hîc expreſsè contradiſtinguunt *verbum Dei*, item *deciſionem ab ipſo Deo factam*, item *Scripturæ locutiones & Spiritus S. formulas ab interpretatione* illius; prout etiam in Apologia contradiſtinguunt dogmata quæcunque controverſa à puris puris verbis Scripturæ. Ita enim Exam. Cenſ. præfat. fol. 3. a. *Quid ergo? Concludendum certè eſt Remonſtrantes de formulis iſtis loqui, quæ verſantur circa dogmata non præcisè credita neceſſaria quæque inter Chriſtianos controverſa, ac proinde aliis quàm Scripturæ puris putis verbis concepta ſunt.* Unde etiam manifeſtum eſt, quàm hi homines orbi illudant, cum volunt jam videri agnoſcere dogmata quædam controverſa pro Neceſſariis ad ſalutem. Sunt enim Arminianis dogmata illa controverſa Neceſſaria talia quæ ab ipſo Deo decîſa non ſunt. Quæſo quo loco æſtimanda ſunt talia dogmata? Sed in hac re convenienter

venienter loquuntur aliis ſuis hypotheſibus circa doctrinam de Neceſſariis expoſitam à nobis capite primo hujus libri ſecundi; ſpeciatim illi, quâ ſtatuunt ea non eſſe credenda certitudine divina ſed tantum humana &c.

5. Porrò tantum abeſt, ut eos qui non acquieſcunt deciſioni Synodicæ Orthodoxæ & ex verbo Dei factæ pro Hæreticis aut Schiſmaticis habeant quibus ſilentium inponendum ſit, ut contrà doceant, Synodos, quæ ſilentium imponunt iis qui dogmata vera controverſa à Synodo ex verbo Dei propoſita rejiciunt eo prætextu quod puris putis verbis Scripturæ adhærere velint, eſſe nihil aliud quam conciliabula factioſorum hominum, qui res ſuas facere volunt; item, tunc verbum Dei eſſe merum prætextum: item, eos omnes qui ita agunt, Schiſmatum ac diſſidiorum omnium in Eccleſia auctores eſſe, & Tyrannidem humanæ auctoritatis introducere. Sic enim p. 134. cum dixiſſent, contentos utrinque homines eſſe debere deciſione iſtâ quæ in verbo Dei facta eſt, & relinquere ſuam cuique interpretationem liberam, & conqueſti eſſent de praxi contrariâ non ſine inſigni & petulantiſſimâ calumniâ adverſus Eccleſiam Orthodoxam veterem & modernam, cui imputant, quod Hæretici & Schiſmatici faciunt, addunt: *Quamdiu id fiet, pax non erit, & Synodi nihil niſi Syncretiſmi erunt, conciliabula factioſorum hominum, qui decîdere controverſias volunt, non tàm ut veritati & conſcientiarum tranquillitati conſulatur, quàm quia externa & mundana quietis ac ſecuritatis eorum intereſt, ut decîdantur, atque ita litium finis fiat quovis modo. Verbum Dei, prætenditur, ſed alia mundana & carnalia in cauſa ſunt.* Item p. 141. Cum dixiſſent *tutiſſimum eſſe ſtare & ſe continere intra Scripturæ locutiones, & Spiritus S. formulas, neque cuiquam moleſtiam creari debere, qui intra eas continere ſe paratum eſſe oſtendit;* addunt: *eos qui aliter agunt & iſta locutione non ſunt contenti, Schiſmatum ac diſſidiorum omnium in Eccleſia auctores eſſe. Remonſtrantes alia arcana non habent circa phraſeologias. Si quæ Vedelius elephantina promuſcide*

 (vides

(vides Lector quàm pulcrum me hi homines faciant!) *odoratur, ea non ſunt ex Remonſtrantium officina. Sibi imputet, qui ſub iſta phraſium Scriptura non contentarum uſurpatione Tyrannidem humana auctoritatis in Eccleſiam Dei introductam vult ſub concordia velamento & obtentu pacis.* Quibus omnibus annon hi inſolentiſſimi & incomparabilis petulantiæ homines condemnant totam veterem &, modernam Eccleſiam Orthodoxam ob deciſiones factas contra Antitrinitarios & abſolvunt eos Hæreticos tanquam injuſtè condemnatos? Hi enim profitebantur ſe velle ſtare intra locutiones & formulas Scripturæ, ac clamabant non ſecus atque hîc Arminiani Orthodoxos cauſam eſſe omnium turbarum ac diſſidiorum quod vocibus ἀγράφοις h.e. in Scripturâ non contentis uterentur; ut notum eſt ex antiquitate Eccleſiaſticâ; quo etiam prætextu Conſtantium & Valentem ad graviſſimas perſecutiones ſuſcipiendas contra Orthodoxos impulerunt.

6. Denique in genere dè omnibus Synodis quæ non ſecundum præſcriptum Arminianæ factionis, quod parte primâ Arcan. lib. 2. cap. 6. nec non in hoc ipſo capite expoſuimus, inſtituuntur, ſed ita ut hactenus à tota vetere & modernâ Eccleſiâ inſtitutæ ſunt, dicunt ea eſſe conciliabula pertinacium Schiſmaticorum conventicula, Principum ac Magiſtratuum flagella & ad pacem ac tranquillitatem publicam perturbandam Syncretiſmos & confederationes periculoſiores apertâ conſpiratione. Ita enim p. 122. quia ego dixeram Synodos eſſe medium conſervandæ fidei & Religionis Chriſtianæ; reſpondent illi: *Imò ſi iſtiuſmodi Synodos intelligit, quales in hoc capite deſcribit, tùm profectò Synodi non modò non ſunt medium conſervanda fidei & Religionis Chriſtiana, ſed contra conciliabula pertinacium, Schiſmaticorum conventicula, Principum ac Magiſtratuum flagella, & ad pacem ac tranquillitatem publicam perturbandam Syncretiſmi, confederationes ac conſociationes mutua, qua tantò magis ſunt metuenda, quantò periculoſior eſt confœderatio Religionis*

Zelo ar-

zelo armata, quàm aperta conſpiratio eorum, qui ſola vi ac violentia muniti facillimè publico favore deſtituuntur, & conſcientias ſibi habent adverſas atque inimicas. En horrendam & Diabolicam malitiam, quâ inſectantur omnes ſynodos veteres & modernas Orthodoxas, quæ ſe ad hominum horum turpiſſima circa Synodos dogmata à nobis expoſita & rejecta (quod illi indicant his verbis quando dicunt: *quales in hoc capite deſcribunt*) non compoſuerunt nec unquam component. Et hinc manifeſtum fit, quàm turpiter etiam in hac parte ab his hominibus Lutherani decepti ſint. His enim perſuaſum fuit, Arminianos Synodo ſoli Dordracenæ malè velle; unde factum ut etiam ex Lutheranis quidam calamum adverſus eam ſtrinxerint. Sed nunc videre poſſunt illi, quid hi homines in receſſu habuerint: & percipere queunt, eos æquè malè velle omnibus Synodis veteribus & modernis quæ non ad præſcriptum Libertinorum horum & ſimulatorum Antitrinitariorum inſtituuntur; & ſic vident, ſe cum ſuis Synodis omnibus quas ut approbant aut ipſi celebrârunt, tanquam factioſos, ſceleratos & peſtilentiſſimos homines condemnatos ab hac ſectâ eſſe. Ut autem unuſquiſque melius percipiat quo jure ita damnent omnes Synodos quæ non pede quo illi volunt ambulant; revocet ſibi in memoriam Lector aut relegat dogmata quæ illis objeci Arcan. par. 1. lib. 2. c. 6. quibus quia contrarium ſentio cum omnibus Euangelicis; ideò dicunt illi me Synodos in eo capite deſcribere.

CAP. VII.

Arcana nova Arminianorum circa miniſterium Verbi; ex cap. 7. Vindic. lib. 2.

1. *Arminiani fatentur, inter ſe eſſe miniſtros, qui Pædobaptiſmum rejiciunt & infantes baptizare nolunt.* 2. *Tria genera*

genera miniſtrorum Arminianorum, diſſentientium circa doctrinam & Praxin Pædobaptiſmi.

1. HActenus in nullâ Eccleſiâ quæ Deum in tribus perſonis adorandum credit neceſſarium eſſe ad ſalutem, ad miniſterium verbi admiſſi fuerunt qui negant Pædobaptiſmum & nolunt baptizare infantes. At Arminiani fatentur inter ſe eſſe Paſtores qui negant Pædobaptiſmum & nolunt infantes baptizare. Ita enim cap. 7. p. 144. *Remonſtrantes cenſent nullam eſſe ſatis gravem cauſam, cur fratres ſuos qui Pædobaptiſmum neceſſariò in Eccleſia Ieſu Chriſti neceſſitate ſeu præcepti ſeu medii retinendum aut uſurpandum eſſe non arbitrantur, intolerabiles in cœtu ſuo cenſeant.* item: *Quaſi verò conſequentia hæc valeat, Remonſtrantes propter iſtud unum caput ſive iſtum Articulum in quo conveniunt fratres iſti ſui cum Anabaptiſtis, non putant eos damnandos aut ex cœtu ſuo excludendos eſſe, Ergò Anabaptiſtarum omnia probant.* Unde patet, qui ſint Paſtores illi de quibus Apolog. c. 23. fol. 248. a. b. loquuntur: *Remonſtrantes nullam eſſe cauſam vident, cur Paſtores iſti qui Pædobaptiſmum per conſcientiam uſurpare non audent, & interim alios eum ſeu ex conſcientiâ ſeu ex traditione, conſuetudine vel recepto more uſurpantes tolerare parati ſunt, pro veris ac legitimis Chriſti Paſtoribus habendi non ſint.* Sunt enim illi Paſtores inter ipſos Arminianos, ut patet ex loco allegato Vindiciarum, nec non ex actis conciliabuli cujuſdam ipſorum habiti anno 1624. Et nota eſt res incolis harum Provinciarum etiam ex experientiâ. Sed mihi propoſitum eſt, exteris quoque conſulere, quibus talia ignota eſſe poſſunt.

2. Patet porrò ex collatione loci iſtius Vindiciarum cum Apologiâ; inter Arminianos eſſe tria genera miniſtrorum diſſentientium, non ſolum circa doctrinam pædobaptiſmi, ſed etiam circa praxin illius. Sunt enim ex iis quidam qui pædobaptiſmum & uſurpant & credunt; quidam qui eum uſurpant quidem ſed nòn credunt; denique alii qui eum nec uſurpant

nec cre-

nec credunt. Verum me dicere, patet ex eo quod loco allegato Apol. dicunt. Primò enim inquiunt; *ac proinde cur paſtores iſti; qui cum per conſcientiam uſurpare non audent*, ecce tertium genus. pergunt: *& interim alios eum, ſeu ex conſcientiâ* &c. *uſurpantes* ecce primam ſpeciem; nam conſcientiam, ut vidimus ſuprà, definiunt rationibus quas quis putat ſe in verbo Dei invenire. Pergunt; *ſeu ex traditione, conſuetudine vel recepto more uſurpantes*: ecce ſecundam ſpeciem. prima igitur ſpecies eſt eorum miniſtrorum Arminianorum qui Pædobaptiſmum ex conſcientiâ uſurpant; ſecunda eorum qui ex conſuetudine eum, non autem ex conſcientiâ uſurpant: Tertia denique eorum qui eum per conſcientiam non uſurpant. Vide mihi & noſce vel ex hoc exemplo hanc ſectam egregiam.

CAP. VIII.

Arcana nova Arminianorum circa diſciplinam Eccleſiaſticam; ex cap. 8. Vindic. lib. 2.

Docent: 1. *Hæreticos non afferre aliud Evangelium, nec Evangelizare aliud quid præter id quod Apoſtoli Evangelizârunt. Hæreticos Jeſum Chriſtum amare.* 2. *Judicium Eccleſiæ contra eos quos Hæreticos eſſe rectè & convenienter verbo Dei judicavit non obſtringere actu alios quam ipſos judicantes.* 3. *Hæreſin ideò non eſſe corporali ullo modo coërcendam, quia Hæreſis animi morbus ſit.* 4. *Eos qui docent Hæreticos ullo corporali modo coërcendos, peccare in Legem naturæ.* 5. *Hæreticos eſſe, & forte anathemate dignos, qui Antitrinitariis anathema dicunt. Arminiani ſe ipſos ſeparant à communione totius Eccleſiæ quæ*

Deum in tribus perſonis adorat. 6. Tolerare Hæreticos non eſſe tolerare hæreſin, ſed tollere. 7. Hæreticum ideò probum & innocentem eſſe, quia non vult deditâ operâ errare ut æternum pereat. 8. Hæreſin quà quis ἀυτοκατάκριτος eſt, & voluntariè errat; accedere proximè ad purum putum errorem, ſi Hæreticus ille probè & inculpatè vivat. Armininiani docent communionem colendam cum quibuſdam Hæreticis qui ἀυτοκατάκριτοι ſunt & voluntariâ hæreſi infecti. 9. Calumnia Diabolica Arminianorum contra Reformatos omnes. 10. Arminianorum ſtatuentium peccatum quoddam neceſſariò inhærens & tamen voluntarium ἀυτοκατακρισία circa quinque articulos.

1. CApite etiam octavo Vindiciarum ſuarum lib. 2. c. 8. multa nobis cudunt nova dogmata contra communem conſenſum totius Eccleſiæ. Primò enim docent: Hæreticos non afferre aliud Euangelium, aut Euangelizare aliud quid præter id quod Apoſtoli Euangelizârunt: item Hæreticos Ieſum Chriſtum amare. Probâram ego Hæreticis anathema dicendũ eſſe ideò quia aliud Euangelium afferunt, item quia Dn. Ieſum Chriſtũ non amant. Reſpondent illi p. 146. *Quid? an aliud Euangelium afferre aut Euangelizare aliud quid, præter id quod Apoſtoli Euangelizarunt, hæreſis eſt? Et, An Dominum Ieſum Chriſtum non amare, eſt Hæreticum eſſe? Quâ vel ſpecie alterum horum ex locis iſtis evinces? Hæretici ipſi ſibi anathema dicent, ſiquid præter id quod Evangelizatum eſt ab Apoſtolis doceant aut defendant.* Egregium verò argumentum ab opinione Hæreticorum deſumtum! Iſraël ſacrificare ſe non putabat Diabolis ſed Deo; & tamen Moſes dicit, *Sacrificârunt Diabolis non Deo.* Deut. 32. 17. Pergunt: *Deinde quis unquam legit in Scripturis, eos qui præcepta Domi-*

pta Domini Ieſu ſollicitè amant cuſtodire & vitam ſuam ad ea accuratè ſtudent componere, ſi fortè errent in rectè concipiendo hoc aut illo dogmate, dici non amare Dominum Ieſum Chriſtum? Contrà inquit ipſe Dominus Ieſus Ioh. 14. 21. *Qui tenet mandata mea, & ſervat illa, is eſt qui diligit me. & v.* 24. *Qui non diligit me is ſermones meos non ſervat. &* 1. *Ioh.* 5. 3. *Hæc eſt charitas Dei, ut mandata eius ſervemus. Aliaque plura in eanden ſententiam.* Vides, pie Lector, quorſum hi homines delabantur, qui ea quæ Chriſtus ſolis verè credentibus ac membris veris Eccleſiæ ſuæ tribuit, Hæreticis tribuere audent.

2. Docent judicium Eccleſiæ contra eos quos Hæreticos eſſe rectè & verbo Dei convenienter pronunciat, non obſtringere alios quam ipſos judicantes. Ita enim p. 147. dicunt certum eſſe *Iudicium Eccleſiæ ſecundùm quod actum diſciplinæ exercet contra eos quos Hæreticos eſſe rectè & verbo Dei convenienter credit, etiamſi eos abducere eò non poſſit ut ſe ipſos condemnent, aut condemnandos eſſe credant, non cenſeri à Remonſtrantibus judicium, quod alios quàm ipſos illos judicantes actu obſtringit, etiamſi omnes ad idem aut ſimile judicium faciendum obligentur.* Vide vertiginem horum hominum: dicunt omnes alios obligari ad idem judicium faciendum, & tamen neminem ex omnibus illis aliis actu obligari ad illud. Sed hi homines ſophiſticantur ambiguitate phraſeos *actu obligari.*

3. Docent etiam: ideò Hæreſin non eſſe corporali ullâ ratione coërcendam, quia Hæreſis amimi morbus ſit. Ita enim p. 152. *Deinde eſto, Hæretici ſint, quid coërcitio illa facit ad hæreſin? Hæc animi morbus eſt. At pœna corpus tangit.* Secundum hoc axioma, peccatum nullum erit puniendum, quia peccatum omne animi morbus eſt. Nec effugient, ſi dicant: Etſi peccatum animi morbus ſit, tamen ideò corpus puniri, quia corpore patratur peccatum, ſeu corpus animo inſervit. Hoc, inquam, eos non liberat infamiâ doctrinæ iſtius ſuæ. Nam etiam corpus inſervit iſti animi morbo qui Hæreſis eſt, ut patet ex o-

mnibus actionibus externis Hæreticorum, propter quas corporali modo ipſis reſiſtitur. Non enim puniri in illis debet animi morbus à Magiſtratu, ſed reſiſtendum eſt actionibus eorum externis. Tu, pie Lector, junge hoc quod hi homines dicunt hic, *hæreſin ideò non eſſe puniendam quia animi morbus ſit*, junge, inquam, cum eo quod docēt *impunitatem non dare cauſam ſceleribus*; & vide annon paulatim ex Libertiniſmo in doctrinâ quem hi homines introducunt, fluat Libertiniſmus in vitâ? Conqueſtus eram de eo quod communionem colunt cum Socinianis & Anabaptiſtis, qui jus necis eripiunt Magiſtratui, & dixeram iſtam doctrinam Socinianorum eſſe impiam. Hoc illi negant, & quia videbant objici poſſe, ideo eam doctrinam eſſe impiam, quia ſublatâ pœnâ ſanguinis, & impunitate mortis introductâ, licentia peccandi ſequitur & impietatis diluvium: ideò formant eam objectionem & præoccupant cap. 5. lib. 2. Vind. p. 115. ac dicunt: *Sequi poſſe indubium eſt; ſecuturam omninò, incertum eſt; veriſimiliter ſecuturam penè certum eſt, non per ſe ſed per accidens &c.* Hoc non contenti, addunt: *Sed hoc ut dixi per accidens eſt. Libertas enim iſtâ &* IMPVNITAS SCELERIBVS CAVSAM NON DAT, *nec virtutibus obicem ponit.* Junge etiam his quod docent, ut mox videbimus §. 7. Hæreticum ideò probum & innocentem eſſe quia non vult deditâ operâ errare ut æternum pereat. Eſtne enim quæſo ullus peccator, qui crimen aliquod deditâ operâ committit, ut æternum pereat? Sed de hac re jam jam.

4. Docent præterea: Eos qui docent Hæreticos eſſe ullo corporali modo coërcendos, aut qui eos coërcent, peccare in legem naturæ. Ita enim p. 152. dicunt, doctrinam ſuam de nullo modo corporali, quicunque tandem ille ſit, coërcendis Hæreticis *eſſe talem quam ipſa prima lex naturæ ſuadet.* Quod quàm falſum ſit patebit ex par. IV. lib. 2. c. 8.

5. Docent Hæreticos eſſe & forte anathemate dignos eos qui Antitrinitariis anathema dicunt. Dixeram ego: *Sextò, Arminiani*

miniani evertunt diſciplinam Eccleſiaſticam, dum Hæreticis nolunt anathema dicere, eo prætextu, quod Chriſtus eos non damnet expreſſè nec per conſequentiam omnibus obviam; atque in ſpecie ob eam cauſam nolunt Antitrinitariis anathema dicere. & addideram eos cap. 3. Apologiæ hanc ipſam cauſam reddere cur Antitrinitariorum Hæreſi anathema non dixerint. Reſpondent illi p. 153. *Tantum abeſt, ut iſtâ ratione evertatur diſciplina Eccleſiæ, ut contrà Remonſtrantes credant, Hæreticos eſſe & forte anathemate dignos, qui aliter Hæreticis anathema dicendum eſſe aut dictum volunt. Tyrannidem ſapit ſine expreſſâ aut clariſſimâ lege Chriſti aliquem anathemate percutere. Væ illis qui dicunt Dominus dixit; Dominus autem non dixit.* Et poſtea ſeparant ſe à communione eorum omnium: *Anima noſtra ne veniat in conſilium eorum.* Obſervetur fraus & impoſtura horum hominum, qui, cum ego expreſsè ipſis bis objeciſſem loco allegato, quod Antitrinitariis ob cauſam allatam anathema dicere nolint: Hîc hi homines diſſimulant illam partem accuſationis & detruncant eam; ſaltemq; hęc verba in Vindiciis ſuis exprimunt & proponunt: *Sextò Hæreticis nolunt anathema dicere eo prætextu, quòd Chriſtus eos non damnet expreſſè nec per conſequentiam omnibus obviam.* Reliquam partem quâ ſe præcipuè premi ſentiunt omittunt. Id quod faciunt in eum finem, ut Lectorem, qui ſaltem ipſorum reſponſum legit, & non ſimul confert cum Arcanis, lateat judicium ipſorum de tota veteri & modernâ Eccleſiâ quæ anathema dicit Antitrinitariis. Sed effugere non poſſunt. Habemus enim verbis modò allegatis ex his Vindiciis Majorem Syllogiſmi, quæ quidem talis eſt; *Omnes illi ſunt Hæretici & fortè anathemate digni, qui iis anathema dicunt quos Chriſtus nec expreſſè damnat nec per conſequentiam omnibus obviam.* Habemus etiam in Apologiâ, Reſp. ad Excerp. & Vindiciis ipſorum hanc minorem: *Atqui vetus & moderna Eccleſia quæ Deum in tribus perſonis adorat, dicendum eſſe voluit & vult Anathema Antitrinitariis, quos tamen Chriſtus nec expreſſè damnat, nec per conſequentiam o-*

mnibus obviam: quâ de re videantur verba ipſorum cap. 7. lib. 1. par. IV. Arcan. Concluſionem jam facilè quivis facere poteſt. Quid enim hoc ſibi vult: Dicitur ab Eccleſiâ veteri & modernâ anathema Antitrinitariis, quos tamen Chriſtus nec expreſsè damnat, nec per conſequentiam omnibus obviam. Jam autem illi qui anathema dicunt iis, quos Chriſtus nec expreſsè damnat nec per conſequentiam omnibus obviam ſunt Hæretici & forte anathemate digni. Hic igitur videmus rurſus judicium horum omnium de tota vetere & modernâ Eccleſiâ, quæ anathema dixit & dicit Antitrinitariis. Obſerva autem, quod ſe ipſos ſeparant à communione totius Eccleſiæ, quæ Deum in tribus perſonis adorat: *Anima*, inquiunt, *noſtra ne veniat in conſilium eorum.* Benè habet; & omnis populus dicat, Amen!

6. Docent inſuper: Tolerare Hæreticos non eſſe tolerare hæreſin ſed tollere. Ita enim p. 155. dicunt me *hæreſeos violatæque diſciplinæ arceſſere Remonſtrantes, quod Magiſtratuum auxilium implorari nolint & mitiora conſilia ſuadeant, quæ non tollendis hæreticis ſed tolerandis, hæreſi autem non tolerandæ ſed tollendæ ſerviunt.* Bonum factum. Igitur qui idololatras & alios peccatores v. g. ſcortatores, adulteros tolerat; idololatriam ſcortationem & adulteria non tolerat, ſed tollit. Par enim ratio eſt. Hi homines putant totum mundum fatuum eſſe, cui turpiter & protervè illudere poſſint.

7. Præterea docent: Hæreticum ideò innocentem & probũ eſſe, quia non vult deditâ operâ errare ut æternum pereat. Ita enim p. 155. *Hæreticus animo probus, & voluntate innoxius eſſe ſupponitur. Nemo enim præſumitur velle deditâ operâ errare ut æternùm pereat, & ut alios ſecum æternùm perire faciat.* Si hęc vera ratio eſt probitatis & innocentiæ; tum etiam probus & innocens eſt qui crimen aliud aliquod committit. Nam nemo deditâ operâ & eo fine peccare vult, ut æternum damnetur. Hoc ſibi objici poſſe præviderunt: itaque præoccupant: *Dices, ne in crimine*

quidem id

quidem id locum habere, quòd quis peccare velit, ut æternùm pereat. Et reſpondent: *Fateor; ſed crimen tamen cui manifeſtam æternæ pœnæ comminationem adhærere novit, & ſe nôſſe profitetur, deditâ operâ committit; etiamſi fortè fiat ut, ſibi ipſi lenocinans, crimen iſtud tàm gravi pœnâ non punitum iri à Deo propter ingentem eius bonitatem opinetur.* Sed hoc effugium inane eſt. Nam, ut alia taceam, manet ſaltem, iſtâ hypotheſi Arminianorum ſtante, probos & innoxios eſſe eos qui crimina committunt, & neſciunt comminationem additam eſſe æternæ condemnationis. Sic igitur verè probi & innocentes ſunt Gentiles etiamſi crimina varia commiſerint; utpote qui neſciunt manifeſtam æternæ pœnæ comminationem crimini adhærere. Rurſus, ſi hi probi & innocentes ſunt, certè non damnabuntur. Nemo enim innocens damnatur: ne infantes quidem infidelium, utpote qui in Adamo peccarunt, ac peccato Originali ſunt infecti. Sed hoc ægrè ferunt hi homines, qui ut toti Socinianâ labe infecti ſunt; ita etiam cum eodem Socino Pelagianiſmum, circa labem & peccatum originis & conditionem infantium extra fœdus gratiæ conſtitutorum, amplectuntur.

8. Docent etiam Hæreſin qua quis αὐτοκατάκριτος h. e. à ſe ipſo damnatus eſt & voluntariè errat, accedere proximè ad purum putum errorem, ſi Hæreticus ille probè & inculpatè vivat. Ita enim poſtquam dixiſſent, eſſe Hæreticos quoſdam qui voluntariâ hæreſi laborant, & qui ipſis αὐτοκατάκριτοι ſunt, ac eos in diverſa genera diſtribuiſſent: *Quidam enim ſunt*, inquiunt p. 156. *qui erroribus iſtis imbuti per eos in vitam prolabuntur impiam ac profanam. Quidam, qui non obſtantibus iſtis erroribus probè vivunt & inculpatè. Contra iſtos diſciplinam exerceri non poſſe tantùm ſed & debere poſt adhibita, uti oportet, apta & idonea ad errores ipſos ſanandos remedia, æquiſſimum putant Remonſtrantes. Circa hos moderatione & lenitate majore utendum eſſe credunt; quia proximè ad errorem purum putum accedit error eorum.* Error autem purus eſt ipſis *criminis planè & culpæ expers.* Vides, Lector

candide,

candide, quam hi homines extenuent hæreſin, ac mundo illudant, cum dicunt ſe agnoſcere dogmata quædam controverſa neceſſaria: item cùm dicunt diſciplinam Eccleſiaſticam exercendam eſſe adverſus Hæreticos quoſdam. Hic enim quæ ſit iſta maior moderatio & lenitas de qua loquuntur, eſt oſtendendum. Etenim dicunt exercendam eſſe diſciplinam Eccleſiaſticam h.e. excommunicationem contra prioris generis Hæreticos poſt adhibita uti oportet remedia apta & idonea ad ſanandos iſtos errores: circa hos autem moderatione & lenitate majore utendum eſſe. Quæſo, quæ circa errores poteſt adhiberi major moderatio antequam diſciplina Eccleſiaſtica exerceatur; quam ſi adhibeantur primò alia omnis generis remedia ad ſanandum morbum, adeòque inter cætera etiam patientia & longanimitas? Et tamen hi homines volunt adhiberi adhuc majorem moderationem. Illa profectò alia nulla eſſe poteſt, quam ut plane abſtineatur excommunicatione ipſorum, & cum illis cõmunio colatur. Hanc eſſe veram ipſorum & intimam mentem patet ex eo quia ibi loci loquuntur, ut jam jam intelligemus, de Hæreſibus quas Reformatis impingũt calumnioſiſſimè ob doctrinam eorum de quinque articulis. Jam autem profitentur ſe, ratione dogmatum noſtrorum circa iſtos quinque articulos, paratos eſſe communionem nobiſcum colere etiamſi ea pro ſummè Hæreticis habeant. Patet etiam ex eo, quod, ut ex verbis ipſorum modò allegatis videre eſt, contra prioris generis Hæreticos volunt exerceri diſciplinam Eccleſiaſticam tunc quando errori accedit improbitas vitæ; unde manifeſtum eſt, eos contra Hæreſin etiam illam qua quis αὐτοκατάκριτος eſt non uti diſciplinâ Eccleſiaſticâ velle qua Hæreſis talis eſt, ſed qua vita improba ac flagitioſa ei conjuncta eſt. Unde jam unuſquiſque videt quam illuſorium ſit, quod dicunt ſe agnoſcere diſciplinam Eccleſiaſticam exercendã contra Hæreticòs eos qui αὐτοκατάκριτοι ſunt & voluntariâ hæreſi laborant! Nam excipiunt (ut nunc cætera non repetam quæ modò dixi)

eos qui,

eos qui, ut ibidem loquuntur, *in mediis eiuſmodi errorum tenebris nati atque educati errores iſtos adeò imbiberunt animis ſuis ut in iis penè conſenuerint & mentem planè corruptam atque in erroribus iſtis adultam ac confirmatam habeant, deque illâ mutandâ ne quidem unquam cogitaverint, nec cogitandi cauſas vel rationes ullas habuerint; & interim non obſtantibus iſtis erroribus probè vivunt & inculpatè.* Hoc eſt, excipiunt homines rudes atque idiotas, & ex populis quoſvis qui velint communionem cum his ſimulatoribus Antitrinitariis colere. Væ autem iſtis qui ſe ipſis opponunt verbis aut factis! væ, inquam, iſtis præ irâ hujus beſtiæ cui datum eſt os magna & blaſphema loquens! Videt etiam unuſquiſque quam illuſorium ſit, quod dicunt ſe agnoſcere dogmata quædam controverſa Neceſſaria ad ſalutem eſſe. Nam res tandem eò recidit, quemadmodum etiam cap. 1. hujus libri vidimus, ut in rei veritate nulla agnoſcant dogmata controverſa Neceſſaria ad ſalutem.

9. Corollarii loco duo ſunt obſervanda. *Primò* quod eadem p. 156. poſteaquam dixiſſent ſe agnoſcere Hæreſin quandam voluntariam (ſumtâ ſcilicet voce longè aliter quam tota Eccleſia eam hactenus uſurpavit) afferunt exemplum iſtius Hęreſeos: *Exempli gratia hæreſis eſt*, inquiunt, C R E D E R E *Deum eſſe auctorem & cauſam peccati; Bona opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem. Nemo homo eſt qui hæreſes iſtas amplexaturus eſt deditâ operâ, ſi ſciat ac perſuaſus ſit eos errores tales eſſe, cum quibus ſalvari non poteſt: Et tamen videmus eſſe non paucos alioquin minimè malos homines, qui hæreſes iſtas non* A M P L E C T U N T U R *tantum ſed palàm etiam ac publicè* T U E N T U R A C D E F E N D U N T. *Quare ſi diſciplina aliqua circa eos exercenda eſt, uti exerceri æquum eſt; neceſſe eſt ut credatur aliquid aut aliqua in cauſa eſſe, per quæ fit, ut in errorem iſtum incidant, & in errore iſto hæreant quæ voluntariam aliquam culpam in ſe habent* &c. Et p. 157. dicunt quòd iſti Hæretici *illa neceſſario conſequi* V I D E A N T *ex aliis hypotheſibus quas certas atque indubitatas non eſſe, etiamſi apertè falſæ ſint, in*

 animum

animum nolunt inducere &c. Hic initio aliquis putaret hos homines (qui non nominant eos quos dicunt iſta dogmata credere, docere &c.) loqui de Libertinis adverſum quos magnus ille ſervus Dei Calvinus ſcripſit; & ſic exiſtimaret aliquis eos afferre exemplum hæreſeos quæ verè exiſtat: quandoquidem conſtat illos Libertinos ita docere. At ſi probè attendatur ad horum hominum verba, deprehendetur eos fingere hæreſin quæ in rerum naturâ non eſt, h. e. eam affingere Reformatis omnibus, quos illi Calvinianos vocant, omnibus, inquam. cujuſcunque ſtatus & conditionis ſint. Quæ profectò impudentiſſima calumnia, & Diabolica malitia eſt. Nam falſiſſimum eſt nos CREDERE iſta duo dogmata execranda, nos amplecti, tueri, defendere ea. Quod enim hi calumniatores ex doctrinâ noſtrâ de quinque articulis, aliorum calumniatorum, Bellarmini præſertim, veſtigia ſequuti, per conſequentias ſuas falſiſſimas, calumnioſiſſimas & blaſphemas id exprimere conantur; id nobis imputari non debet, qui perpetuò proteſtati ſumus ac proteſtamur nos iſta Diabolica dogmata nec credere nec docere, ſed damnare & anathema dicere omnibus illis qui ea credunt ac docent. Et tamen hi homines audent dicere nos credere &c. iſta dogmata. Intelligere autem eos non Libertinos, ſed nos Reformatos, patet, tum ex aliis periphraſibus, quas, qui vult, ibi videre poteſt (nam brevis eſſe laboro) tum exinde; quod ibidem dicunt eos, qui iſta dogmata credunt, *habere Eccleſias, Eccleſiarum ſuarum Paſtores & Doctores, & adſtipulatores viros magnos.* Item, quod dicunt de *hypotheſibus, ex quibus aiunt neceſſariò ſequi ea dogmata.* Quæ profectò Diabolica malitia eſt. Conſtat quidem & vulgatum eſt, eos ex noſtrâ doctrinâ id per putidas ſuas, falſiſſimas, & blaſphemas, ut dixi, conſequentias elicere conari, & communiter docere, id ex noſtrâ doctrinâ ſequi. Sed hoc omnem malitiæ fidem ſuperat, quod dicunt nos CREDERE, AMPLECTI, DEFENDERE, TVERI iſta dogmata; item nos ipſos VIDERE illa ſequi ex noſtris hypotheſibus. Jam eſtne hoc

exemplum

exemplum Hæreſeos quod illi per Sathanicam calumniam nobis affingunt? Increpet te Deus Sathan! Agitur communis cauſa omnium Reformatorum, qui omnes, ſeu Magiſtratus, ſeu populi, ſeu Doctores Eccleſiarũ ſint, cauſam habent vel eo nomine deteſtandi hos homines, & de illis graviter & ſeriò conquerẽdi.

10. Alterum Corollarium eſt, quod dicunt p. 147. *Diſciplinam juſtam eſſe, quæ exercetur contra eos quos Paulus αὐτοκατακρίτους eſſe dicit; & tales Hæreticos aliquos eſſe poſſe, qui etſi à ſe ipſis condemnandi quidem eſſent, tamen adeò magno præjudicio laborant, & tàm profundè imbibitis affectionibus faſcinantur, ut nec ſe ipſos condemnent, nec ſe ab aliis condemnandos eſſe firmiter ſibi imaginentur.* Item p. 156. dicunt eſſe quoſdam ex Hæreticis illis (qui credunt Bona opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem; Deum eſſe cauſam & auctorem peccati) *qui, in mediis eiuſmodi errorum tenebris nati atque educati, errores iſtos adeò altè imbiberunt animis ſuis, ut in iis penè conſenuerint & mentem planè corruptam atque in erroribus iſtis adultam ac confirmatam habeant, deque illâ mutandâ ne quidem unquam cogitaverint nec cogitandi cauſas vel rationes ullas habuerint.* Et p. 157. dicunt *eos in erroribus iſtis natos atque educatos, ita ut nec veritatem unquam cognoverint nec occaſionem eam cognoſcendi ullam habuerint; ita ut negligentiæ, perverſitati, pertinaciæ aut culpæ eorum deputari non poſſit quòd eam non agnoverint.* item dicunt, *interdum judicii imbecillitatem cauſam eſſe in ipſis erroris iſtius;* item, cogitandum eſſe, *quanta ſit vis opinionis inolitæ & quæ ſemel radicem fixit;* item *quantùm valeat ſua cuique ingenio inſita atque innata temperies atque indoles:* item *hæreſin illam in quibuſdam naturæ potiùs vitium eſſe quàm voluntatis; id ſi ſtabiliat veritatis opinio & pietatis ſtudium, quàvis impetigine inſanabilius eſt.* Ubi obſerva, quod dicunt Hæreſin naturæ potius vitium quam voluntatis in quibuſdam eſſe. Cui ſimile eſt quod cap. XI. p. 224. dicunt: *Errores iſtos* (Hæreticorum) *ſola parit natura per nullam ipſorum culpam deſtituta gratiâ, non voluntas auxilium gratiæ aſpernata. Seducuntur*

non ſponte ſuâ, ſed naturæ neceſſitate. Seducunt non quia ſeducere volunt, ſed quia non poſſunt non ſeducere. Ubi patet eos pretexere non poſſe, ſe ex noſtra hypotheſi loqui. Nam dicunt hic ex ſuâ propria hypotheſi, Hæreſin etiam quam illi ſic vocant *eſſe naturæ potiùs quàm voluntatis vitium.* Et docent in Apologiâ, Reſp. ad Excerp. & Vindiciis ſuis, Hæreſin, quæ ſic communitèr vocatur, eſſe planè involuntariam. Hæc ſi ita ſunt, certè talis Hæreſis neceſſariò ineſt iis Hæreticis. Etenim in quo errore tanquam in mediis tenebris aliquis natus eſt & educatus; item de quo deponẽdo nunquam cogitavit ideo quia cogitandi cauſas vel rationes nullas unquam habuit; item in quo errore aliquis natus atque educatus eſt, ita ut nec veritatem unquam cognoverit, nec occaſionem cognoſcendi eam habuerit ullam; adeoque ipſius negligentiæ, perverſitati, pertinaciæ aut culpæ deputari non poſſit quod veritatem non agnovit: item, error cujus cauſa eſt judicii imbecillitas, innata temperies atque indoles, adeò ut is ſit naturæ potius vitium quam voluntatis: is certè error *neceſſariò* ineſt Hæretico. At talis error ſecundum Arminianos eſt Hæreſis illa atrociſſima, quam peccatum eſſe aiunt Vind. lib. 2. c. 4. & tamen contendunt ibidem p. 155. 156. eam ipſam hæreſin eſſe voluntariam. Vides igitur, optime Lector, eos ſtatuere peccatum quoddam, ſpeciatim Hæreſin illam atrociſſimam, eſſe ita voluntarium ut tamen ſimul ſit neceſſarium, adeò ut non poſſit non eſſe. Eant jam & dicant peccatum ideò non neceſſariò ineſſe homini quia voluntarium ſit. Eant jam & clament, ut aliquid voluntarium, ſpeciatim ut peccatum voluntarium ſit, item ut converſio voluntaria ſit, id non debere neceſſariò ineſſe, eſſe aut fieri. Eant denique & contendant voluntarium ſeu liberum, & neceſſarium ſeu quod non poteſt non eſſe, vel ineſſe, vel fieri, ſimpliciter eſſe contradictoria, quæ in æternum convenire non poſſint; hanc eſſe primam notionem &c. Corruit igitur πρῶτον ψεῦδος illorum quo nixi Eccleſias initio turbârunt circa articulos quinque, nimirum Libe-

rum Liberum non debere eſſe neceſſarium: pugnare Liberum eſſe & neceſſarium, & quæ ſimilia axiomata eorum ſunt, quibus omnes ſuas chartas omnes cathedras, omnia compita, omnes angulos, omnes domos inde ab initio ad hæc uſque tempora compleverunt. Vides, pie Lector, quorſum tandem mendacium recidat? Quia ipſis objeceram quod docent, Hæreſin non eſſe voluntariam; fatentur jam eſſe Hæreſin quandam voluntariam; ſed ita ut ſibi palam contradicant & fundamentũ totius Theologiæ ſuæ quinquarticulariæ penitus evertant; de quo in præfatione Apologiæ ſuæ tantopere gloriantur, quod ſit prima notio, quod ſit axioma univerſale, controverſia univerſalis, quæ per totam Theologiam ſe diffundat. Adeoque reverâ etiam in controverſia illâ de quinque articulis αὐτοκατάκριτοι ſunt. Unde jam etiam vel ex hoc vident omnes honeſti viri quos illi deceperunt & ſeduxerunt in illâ controverſiâ, ſe habere juſtiſſimam cauſam hos homines deſerendi & in poſterum averſandi.

CAP. IX.

Arcana nova Arminianorum de Magiſtratus Poteſtate in rebus Eccleſiaſticis; ex cap. 9. Vindic. lib. 2.

Dogmata Arminianorum: 1. *Quando quis hæreſeos accuſatur, tunc non debere Magiſtratum procedere ad cognitionem cauſæ Hæretici, ſed ipſos accuſatores interrogare an non potiùs ipſi Hæretici ſint.* 2. *Hæreticos ideò non poſſe pertinaciæ reos fieri, quia conſcientiam obtendunt, & Orthodoxos pertinaciæ viciſſim poſtulant.* 3. *Eos qui à Religione Chriſtianâ ad Judaiſmum deficiunt, eſſe homines vitæ incorruptæ atque incontaminatæ.* 4. *Eos qui à Chriſtianiſmo ad Judaiſmum deficiunt, perſiſtere in cultu unius*

& veri Dei Iſraëlis. 5. Judæorum modernam Religionem eſſe divinam & à Chriſto approbatam & commendatam. 6. Eos qui à Chriſtianiſmo ad Judaiſmum deficiunt, nullâ planè pœnâ, quæcunque tandem illa ſit, à Magiſtratu eſſe afficiendos. 7. Si Hæretici corporali ullo modo à Magiſtratu Orthodoxo coërceantur, periculum eſſe ingens ne inter latrones Chriſtus crucifigatur. 8. Nullum genus hominum fidelius & obedientius eſſe Magiſtratui quam Hæretici. 9. Tyrannorum crudeliſſimè perſequentium Orthodoxos, & Orthodoxorum coërcentium Hæreticos par jus eſſe. Orthodoxum Magiſtratum qui coërcet Hæreticos juſtam cauſam præbere Tyrannis crudeliſſimè ſæviendi in innoxios Orthodoxos. 10. Hæreticos ideò & quidem tantùm quærere Religionis ſuæ exercitium publicum, ne ea ſuſpecta ſit ullius ſceleris ſeu ſeditionis.

1. HActenus credidit tota Eccleſia, quando Hæreticus aliquis v. g. Antitrinitarius accuſatur Hæreſeos ab Orthodoxis coram Magiſtratu Orthodoxo, tunc debere Magiſtratum Orthodoxum accedere ad Examen cauſæ Hæretici, & videre an Hæreticus ſit: v. g. an doceat Chriſtum non habere naturam divinam, non fuiſſe antequam naſceretur ex Mariâ virgine &c. & ubi hoc deprehenſum eſt, debere eum auctoritate ſuâ coërcere Hæreticum, prout v. g. Sociniani in his Provinciis fœderatis Belgii tolerari non ſolent. At Arminiani docent: Quando aliquis Hæreticus accuſatur Hæreſeos coram Magiſtratu Orthodoxo; tunc non debere eum procedere ad cognitionem cauſæ Hæretici, ſed ipſos accuſantes interrogare annon ipſi Hæretici ſint, & ubi hoc deprehenſum ſit, accuſatores meliora docendos eſſe. Ita enim capite nono Vind. lib. 2. p. 159.

p. 159. *Ne ſinite ut quos ii Hæreticos appellant, hæreſios ſtatim à vobis poſtulentur & ad tribunalia veſtra protinus rei ſiſtantur. Iſtos ipſos anquirite, annon Hæretici ſint, & noxias non tantum veſtrorum ſubditorum animabus, ſed & capitibus ac coronis veſtris hæreſes tueantur ac defendant. Et hoc poſtquam deprehendiſtis, nolite exiſtimare jus vobis eſſe ab altiſſimo Domino cæli datum, ut ſanguine eorum polluatis manus ac coronas veſtras, ut atrocibus ſuppliciis aut durioribus remediis eos ſapere doceatis. Hoc agite, ſancta capita, ut errores exſtirpentur, & errantes ſerventur, aut ſi fieri poteſt eos errorum ſuorum pœniteat. Sufficiat vobis ſi fide, obſequio, aliiſque ſceptro veſtro debitis officiis ſe probent. Si errant, rationibus erudiantur, ut in viam rectam ſponte ſuâ redeant.* Ubi quidem, quò eò liberius cauſam ſuam agere poſſint (nam hi homines eò inſolentiæ devenere ut putent ſe liberius cauſam ſuam agere poſſe, quando ipſi qui ſub Reformato Magiſtratu vivunt & ſolo conniventiæ ipſius beneficio ſubſiſtunt, Reformatos potius inſectantur, quam alios queîs cum Reformati dogmata ea communia habent, quæ profectò ſumma & intolerabilis audacia eſt) Reformatos ſpeciatim deſignant & accuſantium loco ponunt; ſed tamen hanc maximam concernere non minus reliquos cœtus Euangelicos clarum eſt, utpote qui etiam Antitrinitarios pro Hæreticis habent & de iis coërcendis Magiſtratum monent. Quæſo, quis non videt hos homines hiſtrioniam cum mundo exercere velle?

2. Docent etiam Arminiani contra communem conſenſum omnium Eccleſiarum quæ Deum in tribus perſonis adorant, Hæreticos ideò non poſſe pertinaciæ reos fieri, quia conſcientiam obtendunt & Orthodoxos pertinaciæ viciſſim poſtulant. Ita enim p. 179. *Quid enim? An contumacia iſta eos reos pœnæ facit? At contumaciam eſſe quis ſolido argumento evincet, ſi ii conſcientiam obtendant, & accuſatores ſuos pertinaciæ viciſſim poſtulent?* Quaſi verò conſcientiæ non verè bonæ prætextus, nec non calumnia quam Hæretici contra Orthodoxos vibrant, excuſet Hæreticos!

3. Item

3. Item docent: Eos qui, profeſſione Chriſtianæ Religionis deſertâ, ad Judaiſmum deficiunt, eſſe homines vitæ incorruptæ atq; incontaminatæ. Ita enim eâdem p. 179. *Nemo liberalem, ſobrium, humilem, carcere, virgis, fuſtibus, nedum gladio cædendum eſſe judicat, ſi ad avaritiam, intemperantiam & ſuperbiam deflectat. Et eos qui profeſſione Chriſtianæ Religionis deſertâ ad Iudaiſmum deficiunt, vitæ alioquin incorruptæ atque incontaminatæ carcere, furcâ, rotâ dignos judicabitis?* Ita igitur nequiſſimi homines, homines blaſphemi & quidem tales quos ipſi Arminiani in Apologiâ fatentur Chriſtum directè blaſphemare, vitæ incorruptæ & incontaminatæ dicendi ſunt.

4. Quod magis eſt docent; eos qui à Chriſtianiſmo ad Judaiſmum deficiunt, perſiſtere in cultu unius & veri Dei Iſraëlis. Ita enim p. 180. ubi contendunt Apoſtatas ad Judæos non eſſe puniendos ex lege Lev. 24. 15. Num. 15. 30. *Nam*, aiunt, *Legem illam non eſſe latam in eos qui ad verum Deum populi Iſraëlitici deficiunt, aut qui deficientes à Religione Chriſtianâ non tamen deficiunt ad falſorum & alienorum Deorum cultum, ſed in unius & veri Dei Iſraëlis cultu perſeverant, adeò clarum eſt ut Solis radio ſcriptum ſit.* Quòd profectò horrendum & execrandum dogma eſt. Ita enim ſecundum hos homines, illi colunt verum Deum qui non colunt Patrem, Filium & Spiritum S. qui non credunt in Ieſum Chriſtum, imò qui directè, ut ipſi fatentur, blaſphemant Chriſtum. Et ſiquidem verum illud eſt, h. e, ſi verum Deum colunt Judæi, tunc colunt eundem Deum nobiſcum, quod falſum eſſe ipſi Judæi hoſtes noſtri teſtes ſunt. *Non enim*, ut utar verbis Moſis Deut. 32. 31. *ut rupes noſtra, illorum rupes eſt, ac inimici noſtri ſunt judices.* Etenim rupes ſeu Deus quem illi colunt non eſt Pater Filius Spiritus S. Noſtra autem rupes, noſter Deus eſt Pater Filius, Spiritus S. Itaque ſecundùm hanc abominabilem doctrinam, is etiam verus Deus eſt, qui non eſt Pater Filius Spiritus S. Nec effugient Arminiani ſi fortè dicant Judæos colere verum Deum; ſed peccare in modo cultus. Nam

primò

primò hoc non pertinet ad modum rei, ſed ad rem ipſam: h. e. ut quis dici poſſit colere verum Deum, neceſſum eſt ut colat Patrem Filium ac Spiritum S. Secus ſi faciat, non Deum ſed idolum mentis ſuæ colit, teſte Scripturâ; quæ docet eos qui in verum Deum credunt, credere etiam in Filium: *Creditis in Deum, etiam in me credite* Joh. 14. 1. & contrà qui non credunt in Filium ſed eum blaſphemant, non credere etiam in Deum ſed eum odiſſe; Qui me odit, is etiam patrem meum odit. c. 15. 23. item: *qui negat Filium, nec Patrem habet; qui confitetur Filium & Patrem habet* 1. Joh. 1. 23. Et clariſſimè Epiſt. 2. Joh. v. 9. *Quiſquis tranſgreditur, nec permanet in doctrinâ Chriſti, Deum non habet.* Vides hîc ſpeciatim de Apoſtatis ſeu iis qui non permanent in doctrinâ Chriſti pronunciari, quod Deum non habeant. Vides Scripturam ſacram non dicere eos qui Ieſum Chriſtum non colunt, colere quidem verum Deum, at in modo cultus peccare: ſed eam pronunciare, eos qui Ieſum Chriſtum non colunt, nequaquam colere verum Deum. Qui autem verum Deum non colit, & tamen dicit ſe Deum colere, ac cultus aliquam formam obſervat, certè idolum colit mentis ſuæ, ſeu idololatra eſt. Unde etiam Hæretici à totâ antiquitate pro idololatris habentur. *Secundò* ne ex ſuâ quidem propriâ hypotheſi dicere poterunt Judæos errare tantum in modo cultus veri Dei. Nam ſi errant in modo cultus, habent falſam Religionem, aut ſaltem impuram. Judæos habere impuram Religionem credo non dicent, nî fortaſſis adhuc aliquid arcani habeant reconditum quod nos adhuc lateat, & in corde ſuo ſentiant Judæos & Turcas ſalvos fieri poſſe in ſuâ Religione. Reſtat igitur ut dicant Judæos habere falſam Religionem. Jam autem hoc non poſſunt dicere Arminiani: docent enim, ut jam jam videbimus, Judæorum modernorum Religionem eſſe veram ac divinam. Porrò, ſi verum eſt Judæos colere verum & unum Deum Iſraëlis; certè etiam & multò magis Turcę verum Deum colunt, qui Chriſtum non ita blaſ-

phemant ut Judæi: ſed eum pro Magno Propheta & Meſſia habent. Atqui tota Eccleſia inde ab eo tempore quo Turciſmus exortus eſt rectè ex doctrinâ Scripturæ modo propoſitâ ſentit eos non colere verum ſed falſum, ſive idolum, unde etiam Eccleſia Orientalis Anathema dicebat Deo Mahumetis; quod

Nicetas Chron. in Manue. Comm. lib. 7.

poſtea abrogavit Manuel Comnenus æquè malus Theologus ac malus Princeps, ut apud Nicetam Choniatem videre eſt. Ex hoc fundamento etiam Antitrinitarios, quales hodiè ſunt Sociniani, non colere verum Deum ſed idolum mentis ſuæ rectè judicavit tota vetus & moderna Eccleſia quæ Deum in tribus perſonis adoravit & adorat. Vides, pie Lector, in quod barathrum execrandæ impietatis hi homines delapſi ſint; proh dolor!

5. Docent porro Judæorum Religionem modernam eſſe divinam. Ita enim eâdem p. 180. *Certè Lex Chriſti, à quâ defectio iſta ſit, neminem conſcientiæ cauſâ ultore gladio percuti jubet, nedum ut gladio percuti jubeat eos, qui ſi non Chriſti noſtri attamen veri Dei cultores ſe manere velle profitentur, iſtique Religioni adhærent, quam Chriſtus & Religio Chriſtiana ut divinam probat & commendat.* Verùm hoc falſiſſimum eſt. Chriſtus enim & Religio Chriſtiana non probat Judæorum modernorum Religionem, ſeu Judæorum modernam Religionem; ſed eam abrogat, improbat, damnat, ut ex Epiſtolis Paulinis ſpeciatim videre eſt. Verum quidem eſt Chriſtum & Religionem Chriſtianam commendare Vetus Teſtamentum, adeoque veterem Judaicam Religionem ſeu veterum Judæorum religionem; ſed ea vetus Judaica Religio hodie non amplius eſt. Nam Judæi ex quo Chriſtum rejecerunt, & à Deo rejecti ſunt, defecerunt à Religione vetere Judaicâ ſeu Majorum ſuorum. Religio enim vetus Judaica in fundamento conveniebat cum Chriſtianâ, & erat doctrina de Chriſto. Unde Judæi veteres credebant in Chriſtum, teſte ipſo Dn. noſtro Jeſu Chriſto Joh. 8. 56. Luc. 10. 24. Unde etiam per fidem in Chriſtum ſervati ſunt Act. 4. 12. & alibi.

& alibi. At alia ratio eſt modernæ Religionis Judæorum, utpote qui in fundamento non conſentiunt cum Chriſtianiſmo, nec in Chriſtum credunt, ſed eum rejiciunt, blaſphemant, damnant. Unde Scriptura ſacra eos non habet pro Judæis; & pronunciat de iis, quod *ſe dicant Iudæos, non tamen ſint Iudæi* Apocal. 2. 9. c. 3. 9. Nec obſtat quod vetus Teſtam. habent: non enim agnoſcunt niſi literam: rem autem ipſam & ſubſtantiam in quantum ad Euangelium pertinet nequaquam agnoſcunt, ſed damnant & blaſphemiis proſcindunt. Adeoque Religio eorum non magis dici poteſt divina, aut veræ Eccleſiæ Iſraëliticæ, ſive veteris Teſtamenti, quam Simonis Magi, Cerinthi, Ebionis, Gnoſticorum &c. Religio poteſt dici divina aut Chriſtiana. Nititur igitur iſta Arminianorum opinio hoc fundamento; quod ſcilicet vetus Religio Judaica non perierit, ſed etiamum ſit; adeoque quod hodiernorum Judæorum Religio ſit eadem cum veterum & verorum Judæorum Religione. Hauſerunt autem hoc ut & alia plurima Arminiani à Socinianis Hæreticis. Ita enim hi in ſuâ Catecheſi Racovianâ cap 1. de ſacrâ Script. p.15. edit. Racov. an. 1612. probant auctoritatem ſacræ Scripturæ & veritatem Religionis Chriſtianæ ex eo, quod *omnes aliæ*, inquiunt, *præcedentes Religiones perierint* EXCEPTA JUDAICA, DE QVA RELIGIO CHRISTIANA TESTATVR EAM DIVINAM ESSE. In eadem ſententia eſt Hugo Grotius Jctus (Vir cujus eruditioni & eloquentiæ extra res Theologicas, in quibus cum Arminianis malè ſentit, plurimum defero, utpote qui dona Dei in omnibus hominibus æſtimo Deo rationem reddituris bene ne an ſecus illis uſi fuerint) *libro primo De veritate Religionis Chriſtianæ* p. 25. editionis Lugd. an. 1629. ubi & ipſe dicit omnes alias Religiones veteres exceptâ Judaicâ, cujus Chriſtiana quaſi perfectio ſit, evanuiſſe. verba ejus ſunt: *Miracula autem aliqua reverâ aliquando eſſe conſpecta, etiamſi de aliarum hiſtoriarum fide dubitari poſſit, vel ſola* JUDAICA RELIGIO *facilè evincat*,

quæ jam pridem omnibus humanis auxiliis deſtituta, imò contemtui ac deriſui expoſita, per omnes fermè mundi plagas, IN HUNC DIEM PERDURAT, *cùm religiones aliæ omnes (exceptâ Chriſtiana, quæ Iudaicæ quaſi perfectio eſt) aut evanuerint, ſimul atque ſubducta eſt ipſis vis atque auctoritas imperantium, ut Paganicæ omnes; aut eâdem imperii vi adhuc perpetuò ſuſtententur, ut Mahumetiſmus. Quodſi quæratur, quæ ſit cauſa, cur Iudaica Religio in Hebræorum omnium animis tantas egerit radices, ut evelli nequeat &c.* Ex quo vel ſolo exemplo, poſſent autem alia plura adferri, judicandum ſapientioribus relinquo, anne conſultum ſit libellum illum de veritate Relig. Chriſt. (quem in idioma Germaniæ ſuperioris recenter tranſlatum eſſe intelligo) vulgi aut juventutis manibus teri?

6. Cæterum non contenti in Apologiâ docuiſſe, quod Apoſtatæ à Chriſtianiſmo ad Judaiſmum deficientes capitali ſupplicio non ſint afficiendi: jam in vindiciis ſuis ulterius (ut ſolent) progrediuntur, & quod ſuper ea re in animo gerebant, penitus nobis aperiunt. Contendunt enim eos Apoſtatas nullâ planè pœnâ quæcunque tandem illa ſit, afficiendos eſſe. Dixeram ego: *Itane Chriſtus liberam eſſe voluit Religionem ſuam, ut qui ex Chriſtianis ad blaſphemiæ etiam apertæ profeſſionem manifeſtam ſe conferunt pœnâ debitâ non afficiantur?* Reſpondent illi eâdem p. 180. *Non ſanè. Annon magnâ & debitâ pœna afficiuntur, qui cœlo privantur, & ad æternas tenebras damnantur? Si aliam pœnam à Chriſto conſtitutam eſſe credi vult Vedelius, det igitur legem Chriſti iſtâ pœnâ ſancitam.* Et quia ego ad legem Levit. 24. 15. & Num. 15. 30. provocâram, quæ à Chriſto abrogata non eſt, reſpondent illi, legem eam latam non eſſe adverſum Apoſtatas illos, quos dicunt, ut vidimus ſect. præcedente, perſiſtere in cultu unius & veri Dei Iſraëlis.

7. Iuſuper docent: Si Hæretici corporali ullo modo à Magiſtratu Orthodoxo coërceantur, periculum ingens eſſe ne ab eo inter latrones aliquando Chriſtus ipſe crucifigatur. Ita enim

enim p. 182. compellant ordines Illuſtriſſimos: *At verò periculum ingens eſt, Proceres, ſi vi utamini, ne à vobis inter latrones aliquando Chriſtus ipſe crucifigatur.* At quæſtio eſt de iis qui verè Hæretici ſunt, ut Antitrinitarii; quales coërciti ſunt & coërcentur ab illuſtriſſimis Ordinibus, ubi profectò periculum non eſt, ne ab illuſtriſſimis Ordinibus Chriſtus crucifigatur.

8. Docent etiam; Nullum genus hominum fidelius & obedientius eſſe Magiſtratibus, quam Hæretici qui pro talibus ab Orthodoxâ Eccleſiâ habentur. Ita enim p. 183. *Denique nullum genus hominum minùs metuendum eſt vobis quàm iſtud quod ſolius conſcientiæ bonæ ſtudio in hæreſin aut errorem incidit.* Item: *Atq; equidē illud mihi ſemper perſuaſi, nullos eſſe Principibus aut Magiſtratibus ſuis obedientiores magiſq; fidos, quàm eos qui ſimpliciter Deum metuunt & in eo quod ſciunt ac rectè verboque Dei convenienter ſe ſcire credunt, fideles ſe præſtant. Si errant, obedientiam tamen Magiſtratibus ſuis debitam inviolatam cupiunt, ac fidem ſervant.* item dicunt Hæreticos ſtudere excellere obſequio, fide, & vitæ probitate. Ita enim p. 184. *Et vim adhiberi à vobis jure poſſe credetis in eos, qui nullorum criminum rei ſunt? qui obſequio, fide, & vitæ probitate inter ſubditos veſtros ſtudent excellere?* Atqui fons veræ fidelitatis, obedientiæ, & omnium bonorum operum eſt fides vera in Ieſum Chriſtum, Scripturâ teſte; quam fidem profectò, ut & charitatem, Hæretici, ſpeciatim Antitrinitarii (qui ſunt Helena illa pro cujus pulchritudine tantopere hi homines pugnant) nequaquam habent.

9. Docent præterea Tyrannorum crudeliſſimè perſequentium Orthodoxos, & Orthodoxorum principum coërcentium Hæreticos par jus eſſe. Item Orthodoxum Magiſtratum coërcentem Hæreticos juſtam cauſam præbere Tyrannis exercendæ crudelitatis in innoxios Hæreticos. Ita enim p. 183. 184. compellant Ordines Illuſtriſſimos: *Tùm ſi juris veſtri limitem ad violentiam* (ita vocant qualemcunque coërcitionem corporalem Hæ-

ralem Hæreticorum) *uſque porrigi creditis, videte etiam atque etiam, annon itaque par & æquale jus concedere debeatis Regibus & Principibus omnibus ipſique adeò Hiſpaniarum Regi, quem Patriæ & libertatis communis hoſtem declaraſtis, in capita eorum qui unam eandemque fidem vobiſcum profitentur; atque idcircò annon huius juris ac poteſtatis arrogatio futura ſit tùm cauſa exercendæ tùm juſta ratio exercitæ ſeveritatis ac crudelitatis in tot innoxias atque inſontes animas.* Huc pertinet quod dicunt p. 173. *Nulli Magiſtratui ſoli aut præ cæteris jus iſtud coërcendi datum eſſe. Eodem jure viciſſim uti poſſe, ſi velit, Magiſtratum quemlibet in ſubditos ſuos à ſe diſſentientes.* Idem docent in Reſp. ad Exc. p. 134. *Si Magiſtratus officium eſt congruis iſtis rationibus uti, ut arceat omnia quæ ad cultum Dei, quem ipſe ſibi perſuadet verum Dei cultum eſſe, perturbandum atque impediendum faciunt, quotquot ergò Magiſtratus iſtis rationibus uſi ſunt contra eos quos perturbatores veri Dei cultus eſſe ſibi perſuadebant, ii in eo rectè atque ex officio ſe geſſiſſe judicandi ſunt, imò niſi ita ſe geſſiſſent, officii ſui curam non habuiſſe exiſtimandi ſunt. Par enim & æqualis omnium eſt ratio.* Hoc falſiſſimum eſſe ex verbo Dei conſtat; quod condemnat Tyrannos & perſecutores Eccleſiæ, contra autem jubet ut malo (quale profectò hæreſis eſt) reſiſtat Magiſtratus Orthodoxus, & laudat eos qui coërcuerunt falſos Doctores ac idololatras.

10. Denique docent Hæreticos ideò & quidem tantum publicum exercitium Religionis quærere, ne ea ſuſpecta ſit ullius ſeu ſceleris ſeu ſeditionis. Ita enim p. 184 dicunt non eſſe coërcendos à Magiſtratu Hæreticos, inter alia ob hanc cauſam; quia *ſolo tantùm innoxiæ, & ne ſuſpecta ſit ullius ſeu ſceleris ſeu ſeditionis, publicæ Religionis exercitio frui deſiderant.* Hoc falſum & non niſi merum prætextum eſſe patet exinde, quia longè alius finis eſt, propter quem Hæretici publicum exercitium quærunt, nimirum ut eo latius ſpargant venena ſua, & Orthodoxos tandem opprimere poſſint.

CAP.

CAP. X.

Alia Arcanà nova miſcellanea Arminianorum, ex cap. 10. lib. 2. Vindic.

Dogmata Arminianorum: 1. *Introducere in Eccleſiam omnis generis Hereſes quæ ſic communiter ab Eccleſiâ e. g. Reformatâ vocantur, eſſe nihil aliud quàm pacem Eccleſiæ quærere.* 2. *Hereſin quæ ſic communiter vocatur eſſe ſpeciem viſionis quam Spiritus S. commendat.* 3. *Quia non omnis generis Hereticis libertas exercitii permittitur, id cauſam eſſe cur Atheorum, hypocritarum & ſtupidiſſimorum hominum innumerus ſit numerus.* 4. *Quia Arminiani non habent ſenſum verum myſterii Trinitatis pro Neceſſario ad ſalutem, hinc contendunt eum negari & oppugnari poſſe ſine notâ Hereſeos & ſine crimine impietatis.* 5. *Periculi nihil eſſe ſi myſterium Trinitatis pereat, ſiquidem ſenſus illius quem Antitrinitarii negant creditu neceſſarius non eſt:* 6. *Eos qui dicunt myſterium Trinitatis non poſſe ſolidè ex Scripturâ probari eſſe præcipuos eius defenſores ac vindices.* 7. *Eos qui Orthodoxa dogmata de myſterio Trinitatis quæ negantur ab Antitrinitariis docent eſſe neceſſaria ad ſalutem, & illos violatæ Religionis Chriſtianæ totius accuſant, qui negant ea eſſe neceſſaria ad ſalutem, hominibus luculentam occaſionem præbere ſuſpicandi an Deus ſit, item an Religio Chriſti tota divina ſit, adeoq; efficere ut homines in craſſum Atheiſmum incidant, & Deū abnegent.* 8. *Quemlibet pari cum omnibus jure veram fidem ſibi arrogare poſſe.*

Capite x.

1. CApite x. Vindiciarum lib. 2. Arminiani nobis pandunt hæc ſua arcana: 1. Introducere in Eccleſiam omnis generis hæreſes quæ ſic communiter vocantur ab Eccleſiâ Orthodoxâ eſſe nihil aliud quam pacem Eccleſiæ procurare. Primum argumentum meum quo probaveram par. 1. Arc. lib. 2. cap. 10. dogmatis illis egregiis ſuis feneſtram aperire Atheiſmo craſſo, ex eo petitum erat; quod omnes generis hæreſes & ſectas in Eccleſiam ex profeſſo introducere Arminiani laborant. Reſpondent illi p. 187. *Maior procedat, ſi per hæreſes & ſectas intelligantur, uti par eſt, hæreſes quæ reverà & judicio divino exitiales hæreſes ſunt, & quæ tales. Alioquin hæreſes & ſectas introducere in Eccleſiam quæ non niſi judicio humano hæreſes & ſectæ ſunt, non eſt introducere hæreſes & ſectas in Eccleſiam quæ tales, ſed Eccleſiam non ſcindere propter opiniones non hæreticas, & non neceſſarias ſectas ac Schiſmata ex Eccleſiâ ſublata velle.* Dicunt hæreſes & ſectas, quæ non niſi judicio humano ſeu quæ nullo judicio infallibili hæreſes ſunt: quo in cenſu conſtat eos comprehendere Hæreſes illas *de quibus quæſtio eſt*, ut ipſi loquuntur in Apol. ſeu *quam Cenſor ſic vocat* h. e. Cll. Proff. Leydd. qui non in alia ſignificatione vocem Hæreſeos accipiunt quam tota Eccleſia Euangelica, & quæ ſpeciatim ac præcipuè Antitrinitariis tribuitur. Has hæreſes oſtendimus in parte primâ & patet ex hac parte III. Arminianos non habere pro Hæreſibus, ſed pro opinionibus non Hæreticis, ut hîc loquuntur.

2. Docent Hæreſin quæ ſic communiter vocatur à nobis eſſe ſpeciem viſionis, quam Spiritus S. commendat. Ita enim p. 189. ubi in noſtras Eccleſias & omnes alios cœtus qui doctrinæ Arminianorum de non coërcendis ullo modo corporali Hæreticis contrarii ſunt, retorquent illud ipſum argumentum meum hoc modo: *Qui ſub prætextu arcendarum hæreſium, quas nullo indubitato atque infallibili judicio evincere poſſunt eſſe Hæreſes, ſegreges omnes cœtus vi Magiſtratus oppreſſos cupiunt; ii ex profeſſo Tyrannidem invehunt & conſcientiarum libertatem ſublatam volunt, quæ*

tam volunt, qua ſublatâ patentiſſimam portam ad Atheiſmum craſſum aperiri neceſſe eſt. Majorem probant quantum ad Atheiſmum attinet, hoc modo: *Sublatis verò exercitiis Atheiſmo portam aperiri quis neget? Cùm non eſt viſio, inquit Sapiens Rex, tùm diſſipatur populus Prov.* 29. Vides, Lector, eos loqui promiſcuè de exercitiis omnium ſectarum ſeu cœtuum & ſpeciatim de Hæreticis, quos dicunt nullo infallibili judicio evinci poſſe quod Hæretici ſint, h. e. de iis qui communiter ab Euangelicis vocantur Hæretici, quales ſunt Antitrinitarii.

3. Addunt: Quia non omnis generis Hæreticis libertas exercitii permititur, id cauſam eſſe cur Atheorum, Hypocritarum & ſtupidiſſimorum hominum innumerus ſit numerus. *Hinc Atheorum aut hypocritarum*, ibidem inquiunt; *aut ſtupidiſſimorum innumerus penè numerus eſt in omnibus locis ubi vis dominatur & libertas conſcientiarum oppreſſa jacet.* Hæc vera cauſa non eſt; ſed illa, quod ſcilicet *veræ Religioni* libertas non permittitur, aut permiſſa negligitur.

4. Quia Arminiani non habent verum ſenſum myſterii Trinitatis pro neceſſario ad ſalutem, hinc contendunt eum negari poſſe & oppugnari ſine notâ Hæreſeos & ſine crimine impietatis. Item, ex eodem fundamento dicunt, nihil abſurdi eſſe, ſi Arminiani dicant Antitrinitrarios pro veris Eccleſiæ membris haberi debere. Ita enim p. 191. *Verus ſenſus* (loquuntur autem ſpeciatim de ſenſu vero Myſterii Trinitatis quem oppugnant Antitrinitarii) *ſi neceſſarius creditu non eſt, negari & oppugnari poteſt ſine ſalutis periculo, ſine notâ hæreſeos, ſine crimine impietatis ab eo, qui ſenſum iſtum errore aliquo deceptus, credit falſum eſſe ſenſum & verbo Dei contrarium.* item: *Quare quod addit Vedelius; tùm negantes illa* (dogmata de Trinitate quæ negant Antitrinitarii) *haberi debent pro veris Eccleſiæ membris, ineptum eſt. Nam quid abſurdi in eo eſt, ſi illi dicantur pro veris Eccleſiæ membris haberi debere, qui non aſſentiuntur aut repugnant dogmatis, quæ non ſunt ſcitu aut creditu ad ſalutem neceſſaria?* Vides

etiam ex hoc, optime Lector, manifeſtiſſimè, Arminianos communionem colere cum Socinianis, eos pro veris Eccleſiæ membris habere, & in Eccleſiam eos eorumquè hæreſes introducere conari.

5. Docent etiam p. 192. periculi nihil eſſe ſi myſterium Trinitatis pereat, ſiquidem illius verus ſenſus, quem Antitrinitarii oppugnant, creditu neceſſarius non eſt. Ita eos docere, ac myſterium illud Sacroſanctum, etiam prout extra controverſiā eſt, non ex animo habere, pro neceſſario ad ſalutem; ſed in eâ parte quoque ſimulatores Antrinitarios & pejores Arianis eſſe oſtendimus par. II. Arc. lib. I. c. 4. Quare id jam pluribus repetere nolo. Saltem hoc addam, blaſphemiam hanc illorum eſſe fontem alterius iſtius blaſphemiæ, quâ ſtatuunt eos colere verum Deum qui non colunt Patrem, Filium, Spiritum S.

6. Docent etiam p. 192 eos qui dicunt myſterium Trinitatis non poſſe ſolidè ex Scripturis probari, eſſe præcipuos ejus defenſores ac vindices. Ita eos docere oſtendimus par. II. lib. I. c. 3. ubi ſimul expoſuimus quæ mens ſit intima iſtorum verborum. Indicavimus ibidem aliud ipſorum arcanum quod in hac eadem p. 192. produnt; nimirùm *dogmata Orthodoxa de Trinitate, quæ Sociniani Hæretici negant, multa abſurda in ſe continere.*

7. Contendunt, eos qui Orthodoxa dogmata illa de Trinitate docent eſſe neceſſaria ad ſalutem, & illos violatæ Religionis totius Chriſtianæ accuſant qui negant ea eſſe neceſſaria ad ſalutem, hominibus luculentam occaſionem præbere ſuſpicandi *an Deus ſit*, item *an Religio tota Chriſti divina ſit*; adeoque efficere ut homines in craſſum Atheiſmum incidant; aut cum profiteantur ſe ſcire Deum, factis ſuis abnegent. Sic enim in eâdem p. 192. 193. *Profectò qui his non obſtantibus, nihilominus eos hæreſeos & violatæ totius Chriſtianæ Religionis poſtulant, qui fidem Myſterii iſtius non audent imperare ſub æternæ ſalutis periculo & certiſſimo damno, quomodo non plurimis mortalibus luculentam occaſionem præbent ſuſpicandi, an Deus & an Religio tota Chriſti divina*

ſti divina ſit, &c. 2. Quomodo non anſam dant, tùm Doctoribus, ut qualibet dogmata tanquam neceſſaria obtrudant incauto populo, etiamſi abſurdiſſima ea eſſe palpari poſſit; tum populo ut qualibet dogmata admittat &c. Et hoc cum ſit, quid aliud ex doctrinâ iſtâ conſequi credendum eſt, quam per eam homines eò tandem recidere, ut aut omnem Religionem flocci faciant, qui craſſus Atheiſmus eſt, aut dùm præciſam iſtam Religionem mordicus tenent, opera iſta faciant, quæ cùm Dei & Chriſtianæ Religionis amore nullo modo poſſunt conſiſtere, quæque adeò eos iſtis hominibus æquant, de quibus Scriptura ait, quòd quanquam Deum profitentur ſe ſcire, tamen factis ſuis abnegant Deum & Dominum ſuum Ieſum Chriſtum qui eos mercatus eſt. Videant omnes Euangelici, annon hoc ad ipſos ſpectet.

8. Docent denique: Quemlibet pari cum omnibus jure ſibi veram fidem arrogare poſſe. Dixeram ego ſufficere inter alia ad evidentiam veritatis, ut ea evidens ſit fidelibus, h. e. qui credunt & agnoſcunt eam. Reſpondent illi,inter alias nugas p. 203. *Quibus adde, quòd hac ratione incertum ſemper relinquatur, quid neceſſarium ſit: quia fidem iſtam quilibet pari jure ſibi arrogare poteſt; ac proinde nulla ratio dari poterit, cur magis aut minus neceſſarium cenſeri debeat hoc quàm illud. Nam cùm ſine fide iſtâ intelligi non poſſit veritas neceſſaria; & fidem iſtam ſibi arrogare quilibet poſſit pari cum omnibus jure, quid reſtat &c.* Certè illi vanè ac falſe jactitant & venditant veram fidem qui eam non habent; adeoque pari jure cum vere credentibus eam ſibi non poſſunt attribuere.

CAP. XI.

Alia Arcana Arminianorum nova.

1. *Arminani miniſtri fatentur, Provincias fœderatas Belgii liberas fore ab inteſtinis motibus, ſi Arminiani eas*

non turbent. 2. Fatentur ex doctrinâ ſua de quinque articulis fluere dogmata iſta, quibus oſtendimus eos Libertiniſmum introducere.

1. IN concluſione ſuarum Vindiciarum fatentur, Provincias fœderatas Belgii liberas fore ab inteſtinis motibus, ſi Arminiani non turbent. Ita enim p. 221. compellant ſuos populos & ſequaces: *Obſtent benefacta veſtra omnibus eorum* (Reformatorum) *injuriis, & non diſſolvetur per vos compages Reipublicæ & Patriæ noſtræ, ſed cum Deo firma ſtabit atque immota. Ab inteſtinis motibus & convulſionibus libera erit, ſi vos, quanquam poteſtis, turbare tamen nolitis.* Obſervet quoque Lector prudens ac ſapiens Emphaſin vocum QVANQVAM POTESTIS. Unde etiam ibi addunt, ad magis commendandam potentiam partis ſuæ, h. e. ad animos addendos iis quos turpiſſimè deceperunt, & terrorem injiciendum Reformatis, has inſignes partim calumnias partim mendacia: nimirum Arminianos ſervaſſe Rempublicam & quidem *patientiâ ſuâ* (quod profectò eorum eſt qui *poſſunt turbare*, ut hîc loquuntur; per eos ſervatam eſſe patriam, & quidem ſervatos Reformatos qui ſe & Arminianorum miniſtrorum populos perdere voluerint: *Nunquam*, inquiunt, *magis ſpe ſuâ excidit hoſtis, quam cum patientiâ veſtrâ ſervatam vidit Rempublicam noſtram à civilibus motibus &c. Benè eſt. Servata eſt per vos Patria & hoſtis doluit. Hoc officium Patriæ veſtræ debuiſtis, ut in eius ſinu & gremio ſervaretis etiam eos qui vos ſecum perditos volebant.*

2. Fatentur ex doctrinâ ſuâ de quinque articulis fluere dogmata iſta, quibus eos Libertiniſmum introducere ex parte primâ ſecundâ & tertiâ Arcanorum patet, & porrò contra inaniſſima & putidiſſima eorum effugia patebit ex parte quartâ: ac contrà profitentur, ex noſtrâ doctrinâ ſequi contrarium. Ita enim cum multis debacchati eſſent in Reformatos eò quod docent Hæreticos eſſe à Magiſtratu coërcendos nec iis permittendum

tendum ut liberè ſpargant venena ſua, addunt etiammum, compellantes ſuos populos p. 224. *Quare cùm in hoc uno* (de Hæreticis coërcendis, ſeu potius impediendis quo minus venena ſua liberè ſpargere poſſint, nam in eos ferro & flammâ graſſandum eſſe nullibi dixi, ſed iſta ipſorum calumnia eſt) *Vedelium totum eſſe in hiſce libris eius legitis, cogitate quàm inſana ſit doctrina iſta* (de prædeſtinatione & annexis articulis loquuntur) *quæ tam inhumanos ac Barbaros affectus gignit, quàm ab eâ alienus eſſe debeat totus animus ac Spiritus veſter, quàm denique grata vobis eſſe debeat doctrina iſta* (Arminianorum de prædeſtinatione & annexis) *quæ contrariis affectibus vos imbuit, ac niſi iis imbuamini, ſervari vos non poſſe docet: Habeant iſtum Spiritum ſibi, quotquot vos oderunt. Plaudant ſibi inter iſta opera carnis* (coërcitionem Hæreticorum intelligunt ut patet ex præcedentibus verbis ac collatione cum pag. 192. 193.) *& plenis ſitulis ſibi ipſis admetiantur ſalutem; gaudeant ſpe ſuâ læti ac ſecuri; dum Reges Principeſque in capita veſtra concitant, dum Magiſtratus veſtros ſollicitant in exitium veſtri.* Ubi per inhumanos & Barbaros affectus intelligunt mentem ac doctrinam noſtram contrariam iſtis dogmatis quibus Libertiniſmum introducere ſtudent Socinianiſmum. Quod dicunt nos concitare Reges & Magiſtratus in capita populorum Arminianorum & eos ſollicitare in exitium ipſorum, Diabolica calumnia eſt, quâ ſtudent magis irritare populos ſuos contra Reformatos hi homines turbulentiſſimi. Interim diligenter obſervet Lector quæ diximus. Ex his enim facile judicare poteſt de veritate doctrinæ ipſorum quinquarticulariæ, ut pote quæ ipſis fatentibus mater eſt egregiorum iſtorum dogmatum, quibus Libertiniſmus adeoque Socinianiſmus introducitur. Et certe ita eſt ut dicunt; quemadmodum facilè à nobis & ſolidè oſtendi poſſet. Nunc tibi, pie Lectòr dijudicandum relinquo, annon de omnibus iſtis dogmatis Arminianorum, quæ parte primâ & hac tertiâ exhibuimus, dici poſſit, quod S. Irenæus de Florini Hæretici dogmatibus dici

Euſeb. lib. 5. c. 19. bus dicebat: ταῦτα τὰ δόγματα, Φλωρῖνε, ἵνα πεφεισμένως εἴπω, οὐκ ἔστιν ὑγιοῦς γνώμης· ταῦτα τὰ δόγματα ἀσύμφωνά ἐστι τῇ ἐκκλησίᾳ, εἰς τὴν μεγίστην ἀσέβειαν περιβάλλοντα τοὺς πειθομένους αὐτοῖς· ταῦτα τὰ δόγματα οὐδὲ οἱ ἔξω τῆς ἐκκλησίας αἱρετικοὶ ἐτόλμησαν ἀποφήνασθαί ποτε. ταῦτα τὰ δόγματα οἱ πρὸ ἡμῶν πρεσβύτεροι, οἱ καὶ τοῖς Ἀποστόλοις συμφοιτήσαντες, οὐ παρέδωκάν σοι. h. e. *Iſta dogmata, Florine, ut quàm mitiſsimè dicam, ſana mentis non ſunt. iſta dogmata aliena ſunt à conſenſu Eccleſiæ, & in ſummam impietatem conjiciunt eos qui illis fidem adhibent. Hæc dogmata neque qui extra Eccleſiam ſunt Hæretici auſi fuerunt proferre. Iſta dogmata veteres & viri Apoſtolici tibi non tradiderunt?* Judica etiam annon Arminiani per ea Libertiniſmum, & per eum, introducere conentur Turcicas illas & execrandas blaſphemias Socinianorum.

F I N I S.

ERRA-